Codicis Juris Canonici Supplementum

Praecipua acta Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum Codicem Juris Canonici illustrantia

collegit, digessit, notis instruxit

Nicolaus Hilling

Jurisconsultus et in Academia Friburgensi Brisigavorum Antecessor

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Friburgi Brisigavorum 1925
Apud Josephum Waibel Bibliopolam

Omnia iura reservantur.

2978

Impressus a Carolo Henn Typographo Friburgensi.

Memoriae Pii X.

singularis Ecclesiae catholicae Legiferi sacrum.

Praefatio.

Etsi Codex Juris Canonici ius universum Ecclesiae catholicae occidentalis continet ideoque merito fons unicus iuris canonici communis nominatur, tamen saepe non nisi leges generales affert, quae ad executionem et applicationem maiore explanatione indigent. Cui negotio iuris explanandi per Romanam Curiam satisfit instructionibus, quae vocantur, et aliis legibus executoriis.

Cum hae leges suppletoriae, quae extra Codicem vagantur, multis locis dispersae sint, utile duxi easdem secundum Conditoris Codicis exemplum in unum colligere et secundum ordinem digestas et paucis notis instructas in hoc Codicillo lectoribus offerre, ut tam in scholis quam in iudiciis et aliis dicasteriis facilius adhiberi possint.

Utrum recte fecerim, experientia apparebit.

Friburgi Brisigavorum, die festo SS. Angelorum Custodum, 2. Octobris 1924.

Editor.

Index Actorum.

Pag.

Dedicatio operis III
Praefatio V
Index Actorum . . . . . VI—VIII

I.

De Codice Juris Canonici in scholis proponendo et authentice interpretando.

1. Decretum S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus de novo Juris Canonici Codice in scholis proponendo, die 7. Augusti 1917 1—2
2. Motus proprius Benedicti XV, quo Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos constituitur, die 15. Septembris 1917 . . . . . 3—5

II.

De institutione clericorum.

1. Epistola Pii XI. ad Emum Praefectum S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus de Seminariis et de studiis clericorum, die 1. Aug. 1922 . . . . . 5—16
2. Decretum S. Congregationis Consistorialis circa clericorum frequentiam in laicis Universitatibus, die 30 Aprilis 1918 . . . . . 16—18

III.

De obligationibus clericorum.

1. Decretum S. Congregationis Consistorialis de clericis ad Americam et ad insulas Philippinas transmigrantibus necnon de iis. qui curae animarum migrantium inserviunt, die 30. Dec. 1918 . . . 19—25

IV.

Facultates Legatis Apostolicis et Ordinariis tum in dioecesibus tum in terris Missionum a Sancta Sede concessae.

1. Index facultatum, quas pro locis missionis suae Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis penes Civitates seu Nationes post Codicis iuris canonici publicationem tribuere SS.mus Dominus Noster Benedictus PP. XV decrevit, ceteris abrogatis, de anno 1920 . . . . . Pag. 26—40
2. Index facultatum quinquennalium, quae Ordinariis dioeceseon a Sacra Congregatione Consistoriali tribuuntur, de anno 1923 . . . . . 41—54
3. Index facultatum quinquennalium, quae Ordinariis in terris Missionum a S. Congregatione, de Propaganda Fide tribuuntur, anno 1920 . . . . . 54—68

V.

De relationibus status Summo Pontifici vel Sedi Apostolicae faciendis.

1. Formula servanda in relationibus Ordinariorum de statu suarum dioecesium conficiendis, die 4. Novembris 1918 . . . . . 68—92
2. Decretum S. Congregationis de Religiosis de quinquennali relatione a Religionibus faciendis, die 8. Martii 1922 . . . . . 92—95
3. Formula servanda in relationibus Superiorum generalium Institutorum vota simplicia profitentium S. Sedi transmittendis, die 25. Martii 1922 95—107
4. Litterae circulares Emi Praefecti S. Congr. de Propaganda Fide de relationibus missionum singulis quinquenniis exhibendis, die 16. Aprilis 1922 107—129

VI.

De iure religiosorum.

1. Normae secundum quas S. Congregatio de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet, die 6 Martii 1921 . . . 130—140
2. Instructio S. Congregationis de Religiosis de secundo novitiatus anno, die 3. Nov. 1921 . . . 141—143

Pag.

3. Resolutio S. Congregationis de Religiosis de professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa, die 30. Decembris 1922 . 143—146
4. Litterae circulares Emi Praefecti Congr. de Religiosis circa eiusdem personae repetitam electionem ad munus moderatricis generalis, die 9 Martii 1920 . . . . . 146—149
5. Instructio S. Congregationis de Religiosis circa clausuram papalem, die 6 Februarii 1924 . . . 149—157

VII.

De Sanctissima Eucharistia.

1. Resolutio S. Congregationis de Sacramentis super sacris hostiis consecrandis, die 7. Dec. 1918 . . 158—159
2. Litterae circulares S. Congregationis S. Officii super ieiunio eucharistico ante celebrationem Missae servando, die 22. Martii 1923 . . . . . 159—161

VIII.

De matrimonio et processu matrimoniali.

1. Instructio S. Congr. de Sacramentis super probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii, die 4 Julii 1921 . . . . . 161—164
2. Decretum S. Congregationis de Sacramentis de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato instituendis, unacum regulis in hisce causis servandis, die 7 Maii 1923 . . . . . 164—199

IX.

De catechetica institutione.

1. Motus proprius Pii XI. de erigendo apud S. Congregationem Concilii peculiari Officio ad universam in Ecclesia actionem catechisticam moderandam et provehendam, die 29. Junii 1923 . . . . 200—203
2. Literae circulares Emi Praefecti S. Congr. Concilii, quibus Ordinariis interrogationes de institutione doctrinae christianae proponuntur, die 24. Junii 1924 203—205

Index Analytico-Alphabeticus . . . . . 206—215

I.

De Codice Juris Canonici in scholis proponendo et authentice interpretando.

1. Decretum S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus de novo Juris Canonici Codice in scholis proponendo, die 7. Augusti 1917. Acta Apostolicae Sedis IX, 439.

Scriptores: J. Haring, Zur Methode des akademischen Kirchenrechtsunterrichts, in: Theol. prakt. Quartalschrift LXXIII, 212 ss., N. Hilling, Studium und Wissenschaft des Kirchenrechts in der Gegenwart, in: Archiv für kathol. Kirchenrecht CI, 15 ss.

Cum novum iuris canonici Codicem SS. D. N. Benedictus Pp. XV. a die festo Pentecostes [1]) proximi anni millesimi nongentesimi duodevicesimi in universa latina Ecclesia vim habiturum esse edixerit, liquet ex eo ipso die Codicem fore authenticum et unicum iuris canonici fontem, proptereaque tum in disciplina Ecclesiae moderanda, tum in iudiciis et in scholis eo uno utendum esse. Quam sit igitur necessarium, clericis praesertim, Codicem probe nosse atque omnino habere perspectum, nemo est qui non videat.

Itaque Sacra haec Congregatio, ut in re tanti momenti rectae alumnorum institutioni pro officio suo

[1]) i. e. a die 19. Maii 1918.

consulat, omnibus ac singulis studiorum Universitatibus et iuris canonici Lyceis quae, ad normam can. 256, § 1, eidem Sacrae Congregationi parent, praecipit ac mandat, ut in schola antehac *textus* aptissime nuncupata, in qua ius canonicum penitus copioseque praelegitur, ita in posterum eiusmodi disciplina tradatur, ut alumni, non modo Codicis sententia *synthetice* proposita, sed accurata quoque uniuscuiusque canonis *analysi,* ad cognoscendum et intelligendum Codicem veluti manu ducantur: debent scilicet doctores iuri canonico tradendo ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari [1]). Iidem tamen magistri, ante quam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, apte exponant qui eius fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices, ut discipuli pleniorem iuris cognitionem assequantur.

Nullo ceterum, praeter Codicem, libro alumnos uti necesse erit; quodsi doctoribus placuerit eos unum aliquem adhibere librum, id sancte retinendum, ut non eius libri ordini ordo Codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur.

Romae, ex aedibus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 7. mensis Augusti anni 1917.

Caietanus Card. *Bisleti,* Praefectus.

L. † S. *Joseph Rossino,* Substitutus.

---

[1]) Confer Epistolam Benedicti XV. ad Emum Patriarcham Venetorum, die 16. Julii 1917, in: A. A. S. IX, 381.

2. Motus proprius Benedicti XV, quo Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos constituitur, die 15. Septembris 1917. Acta Apostolicae Sedis IX, 483 s.

Fons antiquior: Motus proprius Pii IV „Alias nonnullas" die 2. Aug. 1564 de institutione Congr. S. Concilii Tridentini. Scriptor: U. Stutz, Der Geist des Codex iuris canonici (1918), 47 ss.

Cum iuris canonici Codicem, fel. rec. decessoris Nostri Pii X. iussu digestum, non multo ante, exspectationem totius catholici orbis explentes, promulgaverimus, Ecclesiae bonum ipsiusque natura rei profecto postulant ut, quantum fieri potest, caveamus, ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et coniecturis, aut crebra novarum legum varietate, tanti operis stabilitas in discrimen aliquando vocetur. Quapropter propositum Nobis est utrique incommodo occurrere; quod ut efficiamus, Motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostra, haec quae infra scripta sunt statuimus atque decernimus:

I. Exemplum decessorum Nostrorum secuti, qui decretorum Concilii Tridentini interpretationem proprio Patrum Cardinalium coetui commiserunt, Consilium seu *Commissionem*, uti vocant, constituimus, cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra ea Congregatione cuius propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. Idem vero Consilium constare volumns ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praesit, Auctoritate Nostra et successorum Nostrorum deligendis; his accedent tum vir probatus,

qui sacri Consilii erit ab Actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero iuris canonici periti, eadem Auctoritate designandi; sed Consilio ius erit Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

II. Sacrae Romanae Congregationes *nova Decreta Generalia* iamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones,* si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Eiusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

III. Si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de eiusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice adprobatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit, ad Decreti sententiam canonem vel canones redigere. Si decretum a praescripto Codicis discrepet, Consilium indicet, cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituat, quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis, ter,* etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia statim post

Sacrae Congregationis Decretum, in *Acta Apostolicae Sedis* referantur.

Quae Nobis videmur utiliter in hac causa decrevisse, ea omnia et singula, uti decreta sunt, ita rata et firma esse et manere volumus ac iubemus: contrariis non obstantibus, quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die 15. mensis Septembris anno 1917, Pontificatus Nostri quarto.

Benedictus PP. XV.

II.

De institutione clericorum.

1. Epistola Pii XI. ad Emum Praefectum S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus de Seminariis et de studiis clericorum, die 1. Aug. 1922 [1]). Acta Apostolicae Sedis XIV, 449 ss.

Fontes antiquiores: Litterae encyclicae Leonis XIII „Depuis le jour“ ad Episcopos Galliae, die 8. Sept. 1899. (Acta S. Sedis XXXII, 193 ss.). „Fin dal principio“ ad Episcopos Italiae, die 8. Dec. 1902 (A. S. S. XXXV, 257 ss.). Programma generale studiorum a Pio X approbatum pro omnibus Italiae Seminariis, die 10. Maii 1907 (A. S. S. XL, 336 ss.), Normae S. Congr. Episcoporum et Regularium ad instaurandam institutionem et disciplinam clericorum in Seminariis Italiae a Pio X approbatae, die 18. Jan. 1908 (A. S. S. XLI, 212 ss.). Istruzione della S. Congr. dei Seminari e delle Università degli studi sul'ordinamento dei Seminari in Italia, 26. Aprile 1920 (Il Moni-

[1]) Juvabit cum hac Epistola Apostolica eam conferre, quam Pius XI die 19. Mart. 1924 ad Superiores Generales Ordinum et Congregationum religiosarum virorum dedit. In qua ulteriore fusius de institutione scientifica virorum religiosorum, maxime clericorum agitur. Acta Apostolicae Sedis XVI, 133 ss.

tore Ecclesiastico XXXIII, 142 ss.). — Scriptores: A. M. Micheletti, Commentarium in decretum et normam pro reformatione Seminariorum I—III. Roma 1908 ss. M. Bargilliat, Romanorum Pontificum Pii IX, Leonis XIII et Pii X monita et decreta de institutione clericorum et Seminariis episcopalibus, 1908.

Officiorum omnium sanctissimorum, quaecumque Apostolici muneris amplitudo complectitur, nullum sane nec maius est nec patet latius, quam curare et efficere ut Ecclesiae ad divina sua munia obeunda bonorum ministrorum satis magna copia suppetat. Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Jesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum hominibus nisi per „ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“ communicantur. Iam vero ex hac beati Petri Cathedra, in qua nullo merito Nostro divinitus collocati sumus, circumspicientibus Nobis eum, qui proximis Nostris curis demandatus est, orbem catholicum, existimare licet ex una parte quae et quam magnae sint animarum necessitates, ex altera autem quam non eis plurifariam clerus, pro sua praesertim paucitate, sufficiat: difficultatesque ad eum rite supplendum, quae iam gravissimae aderant, quanto factae sint recentis belli damnis iacturisque graviores. Quod si omnibus, quotquot divinae gloriae alienaeque saluti student, longeque ante alios sacris Pastoribus, permolestum accidat oportet, facile intelligitur Nos, cum omnium Ecclesiarum curam sustineamus, multo vehementius quam ceteros, eam ipsam ob causam anxios esse atque sollicitos. Itaque in exordio Pontificatus

maximi nihil Nobis est antiquius, quam singulare quoddam studium ad rem tanti momenti conferre: praecipueque advocatam adhibere operam istius Urbani Consilii cuius est educationem doctrinamque sacrae iuventutis universae moderari. Novimus enim multa iam a decessoribus Nostris eodem Consilio, ut istrumento, usis peropportune esse praescripta, quae Nos et valde probamus omnia et Nostrae auctoritatis suffragio confirmamus: verum nonnulla ex iis sunt, quae omnino volumus eo vel impensius urgeri, tamquam sancto proposito maxime conducibilia. Quapropter ad te, dilecte fili Noster, eiusdem sacri Consilii praefectum, has damus litteras, ut quemadmodum huius Nostrae tantae sollicitudinis in primis es particeps, ita ad ea significanda quae eamdem levare possunt, te ipso interprete utamur.

Principio, quoniam sacri ordinis Ecclesiaeque rationes artissime, uti diximus, inter se cohaerent, non est dubitandum quin omni tempore satis hominum a Deo ad sacerdotium destinetur; alioquin necessaria in re Deus unquam deesset Ecclesiae suae, quod nefas est dicere.

Quamquam hac ipsa in re, aeque ac in ceteris quae ad communem animarum salutem opus sunt, ea divinae providentiae lex valet, ut communes preces amplissimum locum habeant ad impetrandum. Apertum enim notumque omnibus est illud: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* [1]). Quoniam igitur huic officio optimus quisque satisfacere, Ecclesia praeeunte, consuevit, iam ut candidatorum ad sacra

[1]) Matth. IX, 37, 38.

numerus accrescat, in primis servari cupimus optamusque quod in Iuris Canonici Codice ita praescriptum est: *Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant*[1]). Qui quidem, ubi maturum tempus esse iudicaverint, suos alumnos studebunt sacro alicui Seminario tradere in disciplinam, ut in eis quod ipsi inchoaverint, rite perficiatur. Quod si huic rei tenuitas adolescentulorum fuerit impedimento, nec sacerdotes sumptus suppeditare ipsi possint, bonorum animos excitent ad succurrendum, proposita rei tum sanctitate, tum etiam incredibili utilitate. Quo loco facere non possumus quin rogemus omnes, quicumque Ecclesiam diligunt, ut illud „Opus vocationum ecclesiasticarum" quod, pueris spei bonae et domi et apud parochos et intra Seminariorum septa sedulo adiuvandis, salubriter institutum est, omni foveant studio atque promoveant.

Illud enimvero maximae Nobis est curae, modisque omnibus efficiendum est, quod decessores Nostri Leo XIII et Pius X saepius praeceperunt, ut sacra Seminaria, nisi ad eam rem, cuius causa condita sunt, ne adhibeantur, id est ad sacrorum administros, ut oportet, instituendos. Quare non modo in eis locus esse non debet pueris vel adolescentulis, qui nullam ad sacerdotium praeferant propensionem voluntatis, — horum enim consuetudo clericis mirum quantum obest — sed etiam cum pietatis exercitationes, tum ratio studiorum, tum ipsum gubernationis genus huc

[1]) Can. 1353.

omnino spectent oportet, ut ad perfunctionem divini muneris accommodate alumnorum animi praeparentur. Haec esto Seminariorum omnium, nullo excepto, sanctissima lex: cui quidem si religiosius usque adhuc obtemperatum esset, tanta fere ubique non esset paucitas sacerdotum. Nam hoc est in proclivi, quae non congruenter suae propriae naturae regantur Seminaria, ea suum quidem retinere nomen, re autem vera societati civili multum prodesse posse, at sacro ordini vix aliquid aut omnino nihil proficere.

Iam quomodo constituta esse oporteat Seminaria ut idonea exsistant sacerdotibus educandis, qui et a pietate et a doctrina bene instructi sint, non est Nobis in animo hic explicare: dumtaxat nonnulla sunt, quae praecipue, ut maximi momenti et ponderis, cupimus, dilecte fili Noster, universos sacrorum Antistites diligenter attendere.

Primum est de linguae latinae studio in litterariis clericorum ludis omni cura fovendo atque provehendo, quam linguam scientia et usu habere perceptam, non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest. Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura, et prorsus a sui gubernatione vulgus arceat, sermonem suapte natura requirit universalem immutabilem, non vulgarem. Huiusmodi cum sit sermo latinus, divinitus provisum est ut is mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis; iis dando scilicet non solum unde, vel locorum intervallo disiuncti vel in unum locum congregati, facile inter se sensa mentis et consilia con-

ferrent, sed etiam, quod maius est, unde, quae Ecclesiae matris sunt, altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite artius cohaererent. Utraque de causa, ut cetera omittamus, liquet clerum, ante alios, latinae linguae perstudiosum esse oportere; neque enim hic laudes persequimur, quibus hoc commendatur loquendi genus, pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis quod mire dixeris comparatum ad serviendum Romani Pontificatus gloriae, ad quem ipsa Imperii sedes tamquam hereditate pervenerit. Quod si in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus litteris, latinae linguae, quam dicere *catholicam* vere possumus, ignoratio quemdam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes clericos, quotquot sunt, decet eiusdem linguae satis gnaros esse atque peritos! Horum profecto est latinitatem tanto tueri constantius, quanto a sapientiae catholicae adversariis qui saec. XVI Europae in una Fidei doctrina consensionem labefactarunt, acrius eam norunt oppugnatam. Quare — quod ipsum in iure canonico cautum est —[1]) in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescunt, accuratissime sermone latino volumus alumnos institui, hanc etiam ob causam, ne deinde, cum ad maiores disciplinas accesserint, quae latine utique et tradendae et percipiendae sunt, fiat, ut prae sermonis inscitia plenam doctrinarum intelligentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie iuvenum acuuntur ingenia ad defensionem veritatis. Ita iam non continget, quod saepius dolemus fieri, ut nostri clerici sacerdotesque, cum haud satis operae litterarum lati-

[1]) Cod. I. C. can. 1364.

narum studio dederint, neglectis Patrum Doctorumque Ecclesiae copiosis voluminibus, quibus Fidei dogmata exhibentur cum dilucide proposita tum invicte defensa, idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus petant auctoribus, in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et accurata disserendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatio desiderari. Quae igitur Paulus Timotheum admonuit: *Formam habe sanorum verborum* [1]) . . . *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* [2]), haec, si unquam alias, his praesertim temporibus valent, cum varias errorum fallacias, scientiae nomine specieque obtectas, nimis multi usque quaque venditare consueverunt. Has autem quis detegere possit ac redarguere, nisi Fidei dogmatum probe sensum teneat vimque verborum quibus solemniter sunt expressa, denique nisi ipsum, quo Ecclesia utitur, sermonem calleat?

Alterum in quo singularem Episcoporum vigilantiam requirimus, ad altiora adolescentis cleri studia pertinet. Omnino quae hac de re sunt in iure canonico providentissime statuta [3]), ea sancte inviolateque observari debent, si quidem consilium est sacerdotum parare copiam, qui tantae magnitudini muneris impares non sint. Confecto igitur litterarum curriculo, nostri alumni, ut sacrae Theologiae aptam praeparationem adhibeant, minimum biennio diligentissime in Philosophiae studio versentur. *Scholasticam* intelligimus Philosophiam, a sanctis Patribus Scholaeque Doctori-

[1]) II *Tim.*, I, 13.
[2]) I *Tim.*, VI, 20, 21.
[3]) Cod. I. C. can. 1365 et 1366.

bus quadam laborum continuatione naviter expolitam, ac denique opera et ingenio Thomae Aquinatis ad summum perfectionis gradum adductam, quam quidem decessor Noster illustris Leo XIII „Fidei propugnaculum ac veluti firmum Religionis munimentum“ [1]) appellare non dubitavit. Profecto ipsius Leonis magna laus est Philosophiam Christianam, excitato Doctoris Angelici amore cultuque, instaurasse: atque etiam sic iudicamus, omnium rerum, quas in diuturno Pontificatu pro Ecclesia et pro societate civili utilissime gesserit, hoc adeo fuisse caput, ut si cetera non adessent, haec una res satis esset ad tanti Pontificis nomen immortalitati commendandum. Itaque in primis sibi curae habeant magistri Philosophiae in hac disciplina clericis tradenda non solum rationem seu methodum, verum etiam doctrinam et principia sequi sancti Thomae: idque eo faciant vel studiosius, quod sciunt nullum Ecclesiae Doctorem *modernistis* ceterisque fidei catholicae hostibus ita esse terrori ac formidini, ut Aquinatem.

Quod autem de Philosophia dicimus, idem est de sacrae Theologiae disciplina intelligendum. Nam, ut Sixti V verbis utamur: „Huius quidem tam salutaris scientiae cognitio at exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, certe semper maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haere-

[1]) Litt. Enc. *Aeterni Patris,* die 4. Aug. 1879 (Acta S. Sedis XII, 97 ss.).

ses detegendas et refellendas; his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi et seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est“ [1]). Etenim id quod efficit ut hoc disciplinae genus vim scientiae veri nominis habeat, in eoque — ut desideratissimus decessor Noster praeclare ait [2]) — „plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis“, nihil est aliud nisi Philosophia Scholastica, duce et magistro Aquinate, in usum ipsius sacrae disciplinae conversa. Hinc „apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia, multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefiunt et denudantur“ [3]). Consequens est, non bene sacrae iuventuti consulere, qui omnem de Theologia institutionem, scholastica ratione neglecta, ad *positivam methodum,* ut dicitur, exigendam putent; multoque minus eos officio suo satisfacere, qui huius doctrinae magisterium non aliter exerceant, nisi ordinem seriemque dogmatum atque haeresum doctis disquisitionibus exsequendo. Illa enim positiva methodus necessario

[1]) Bulla *Triumphantis,* an. 1588.

[2]) Benedictus XV, Motu proprio, *De Romana Sancti Thomae Academia,* an. 1914, die 31. Dec. (Acta Ap. Sedis VI, 5 ss.).

[3]) Sixtus V, l. c.

quidem scholasticae adiungenda est, sed sola non sufficit; cum bene comparari nostros oporteat ad Fidei veritatem non modo convincendam, sed illustrandam etiam ac defendendam; Fidei autem dogmata contrariosque errores ex ordine temporum recensere, ecclesiasticae quidem historiae est, non vero munus Theologiae.

Tertio loco, quod ad clericorum studia pertinet, qui, pro conscientia officii, ea moderetur, non is profecto prescriptiones iuris canonici negliget de Theologia *pastorali*[1]): imo plurimum tribuet huic disciplinae, qua quidem proxime animarum quaeritur salus. Nec vero dumtaxat, quam sancte sint divina tractanda, praecipiet; sed praeterea quemadmodum sint maiore semper cum fructu hominibus applicanda. In quo ei erit temporum habenda ratio diligentissime. Multa enim in populi christiani mores rerum cursus induxit, patrum nostrorum inaudita temporibus: quae pernovisse hodie sacerdotem oportet, ut nova novis remedia malis in Jesu Christi virtute reperiat, et salutarem Religionis vim in omnes venas afferat humanae societatis.

Denique scito, dilecte Fili Noster, admodum cordi Nobis illud esse quod pariter in iuris canonici Codice statuitur: *Si constitui Seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium mittat, nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum fuerit*[2]). In quo quidem optandum est

[1]) Cod. I. C. can. 1365, § 3.

[2]) Can. 1354, § 3.

ut Episcopi, quorum id refert, Apostolicae Sedis providentiam aestiment eique libentibus animis suffragentur. Quam multi enim sunt, qui vel moderatorum praeceptorumque inopia, vel fortunarum angustiis, vel alia de causa nequeunt adolescentes clericos, si quos habent maioribus studiis maturos, apud se curare, ut dignum est, instituendos? Iis igitur, ut possent permagno sui muneris officio fungi, opportune haec Apostolica Sedes opitulata est, conditis, maxime per Italiam, in singularum regionum commodum, nonnullis Seminariis, iisque praesidum doctorumque nobilitate florentibus, unde sacerdotes exsisterent ad omne opus bonum instructi, paratique se devovere totos Dei gloriae animarumque saluti. Nos equidem id instituti genus, in quo sapientia aeque ac munificentia decessorum Nostrorum Pii X et Benedicti XV spectata est, cum sartum et tectum conservare volumus, tum etiam, quantum est in Nobis, omni ope in maius provehere. At vero par est et consentaneum, sacrorum quoque Antistites, qui eius sint regionis, cuius gratia Seminarium huiusmodi sit excitatum, debere omnes eidem pro virili parte prospicere. Quos quidem rogamus, ne inviti id faciant, quod non solum communis ab eis, sed propriae etiam ipsorum utilitatis ratio postulat. Etenim si reputaverint — quod res est — suam cuiusque causam hic agi, et Seminarium interdioecesanum vel regionale suarum cuique dioecesium Seminarii maioris instar esse, in quo ipsi eadem iura eademque officia singuli habeant, nihil sane, quod intelligant a se in eius bonum conferri posse, unquam recusabunt.

Haec habuimus, dilecte Fili Noster, ad te de

clericorum institutione scribere. Iam istius, cui praees, Urbani Consilii erit curare, ut tum in sacris Seminariis Collegiisque clericorum, tum in magnis Lyceis et *facultatibus* seu doctorum ordinibus, quicumque eidem Consilio subiecti sunt, ea diligenter ubique ad effectum adducantur. Eadem ipsa igitur, ex auctoritate Nostra, omnibus, quorum interest, tu significabis. Deprecante autem Virgine beatissima, Eius Matre qui est *Sacerdos in aeternum*, confidimus rem magno cum emolumento sacri ordinis, Dei miserentis gratia, successuram.

Auspicem interea divinorum munerum ac peculiaris Nostrae benevolentiae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die I mensis Augusti, anno MCMXXII, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XI.

---

2. Decretum S. Congregationis Consistorialis circa clericorum frequentiam in laicis Universitatibus die 30 Aprilis 1918. Acta Apostolicae Sedis X, 237 s.

Fontes antiquiores: Instructio S. Congr. Episcoporum et Regularium quoad clericos saeculares et regulares, qui Universitates Gubernii studiorum causa frequentant, die 21. Juli 1896 (Acta S. Sedis XXIX, 359 ss.), Encyclica Pii X „Pascendi“ de modernistarum doctrinis, die 8 Septembris 1907 (A. S. S. XL, 593 ss.), Motus proprius Pii X „Sacrorum Antistitum de modernismi periculo propulsando, die 1 Septembr. 1910 (Acta Ap. Sedis II, 655 ss.)

Nemo de sacro clero laicas Universitatum facultates frequentare potest ibique profana quaevis studia peragere, nisi de Episcopi sui voluntate vel benepla-

cito. Id ex praescriptis Codicis canonici aperte deducitur. Neve haec dispositio nova est aut primum inducta. Etenim tum Leo XIII, tum Pius X, f. ambo r., id aperte sanxerunt; alter per *Instructionem* sub die 21 iulii 1896 a Sacra Congregatione EE. et RR. ad Ipsius mentem impertitam, quae incipit *Perspectum est Romanos Pontifices* [1]), alter vero in Encyclica *Pascendi* [2]) sub die 8 septembris 1907, necnon Motu Proprio diei 1 septembris 1910, qui incipit *Sacrorum Antistitum* [3]).

Hinc patet totam hanc de frequentandis Universitatibus laicis materiam in Episcoporum iure ac potestate esse positam, nec deesse regulas quibus ipsi in re dirigantur.

Quoniam tamen nonnulli Ordinarii pressiores exquisierint normas, quibus ipsi ex iure procedant, ac maxima caveantur discrimina quae ex diuturna tristique experientia tam vitae sanctitati quam catholicae doctrinae puritati sacerdotibus laicas Universitates celebrantibus impendunt, Ssmus D. N. Benedictus PP. XV, causa prius rite discussa penes S. C. Consistorialem, de consulto Emorum eiusdem S. Congregationis Patrum, Decessorum Suorum Leonis XIII et Pii X supra memoratas ordinationes confirmans easque in suo pleno robore permanere declarans, haec insuper edicenda ac statuenda suoque nomine promulganda constituit:

1. Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini

[1]) Acta Sanctae Sedis XXIX, 359 ff.
[2]) Acta Sanctae Sedis XL, 593 ff.
[3]) Acta Apostolicae Sedis II, 655 ff.

honorem tam ingenii vi ac perspicacia, quam sanctitate morum adiiciat.

2. Episcopus in destinando sacerdotes suos ad laicas studiorum Universitates frequentandas nihil aliud prae oculis habeat, nisi quod dioecesis suae necessitas vel utilitas exigat, ut nempe in Institutis ad iuventutem erudiendam destinatis idonei comparentur magistri.

3. Qui, pro hac norma, ad Universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes, si novensiles sunt, ab examinibus, quae in can. 130 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129.

4. Expletis demum in laica quavis Universitate praescriptis studiorum cursibus, sciant sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea subiectos ac dioecesis servitio manere emancipatos. Quamobrem nemini fas erit magisteria saecularia aliave officia pro suo lubito, maximeve contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur.

5. Haec omnia quae de clero saeculari sunt dicta, ad religiosos etiam regulares, congrua congruis referendo, sunt applicanda.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 30 aprilis 1918.

† C. Card. *De Lai,* Episc. Sabinen., Secretarius.

† V. *Sardi,* Archiep. Caesarien., Adsessor.

III.

De obligationibus clericorum.

1. Decretum S. Congregationis Consistorialis de clericis ad Americam et ad insulas Philippinas transmigrantibus necnon de iis, qui curae animarum migrantium inserviunt, die 30. Dec. 1918. Acta Apostolicae Sedis XI, 39 ss.

Fontes antiquiores: Litterae circulares S. Congr. Concilii ad Italiae et Americae Ordinarios, die 27. Julii 1890, Decretum S. Congr. Concilii „Clericos peregrinos", die 14. Nov. 1903 (Acta S. Sedis XXXVI, 355 s.), Decretum S. Congr. Consistorialis „Ethnographica studia", die 25 Martii 1914 (Acta Ap. Sedis VI, 182 ss.)

Magni semper negotii fuit clericorum receptio ex dissitis vel transmarinis locis provenientium: talibus in adiunctis deceptiones et fraudes facile occurrunt, easque detegere in tanta locorum distantia ac sermonum diversitate diutini laboris est ac difficile. Unde Alexander III in consultatione ad Episcopum Cenomanensem, *statuta Patrum veterum*[1]) renovans, de clericis in remotis regionibus ordinatis, itemque de transmarinis statuit „ut ad minus quinque Episcoporum super ordinatione sua testimonio muniantur". Quae lex, relata in Decretalibus, tit. 22, lib. I, ius commune per plura saecula constituit.

Nostra autem aetate, itineribus trans Oceanum communioribus et frequentioribus factis, novae leges

[1]) Conciliorum scilicet Carthaginensis I, Chalcedonensis et Antiocheni, nec non et S. Augustini (cfr. *Decr. Gratiani,* dist. 71, cap. 6 ss.)

pro clericorum ex Europa ad ea loca migrantium latae sunt, et ultima vice per decretum *Ethnographica studia* [1]), quibus plura juxta temporis adiuncta fuerunt disposita; quae ubi accurate observata fuere, valde in animarum bonum profuisse exploratum est.

Attamen, interea temporis, experientia docuit aliquid in hac re ulterius addi oportere aliaque temperari, ut salutarium priorum decretorum finis plenius ac facilius attingi queat.

Accessit publicatio Codicis canonici iuris, cui, quantum fas erat, coordinari oportebat peculiaris haec lex de clericis trans Oceanum migrantibus.

Habita idcirco ratione votorum plurium Americae Antistitum, perpensisque quae a Nuntiis et Apostolicis Delegatis relata fuerunt, Emi S. huius Congregationis Patres, postquam de mandato SSmi D. N. Benedicti XV omnia diligenti examini subiecere, haec statuenda censuerunt.

CAPUT I. — Integra lege Sacrarum Congregationum de Propaganda Fide et pro negotiis Orientalis Ritus circa sacerdotum huius ritus migrationem, quoad alios haec in posterum observanda erunt:

1. Pro sacerdotibus ad longum vel indefinitum tempus aut in perpetuum ex Europa vel ex Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas migraturis, fas esto Episcopis, non vero Vicariis Generalibus aut Capitularibus [2]), litteras discessoriales concedere, hisce tamen servatis conditionibus:

a) ut agatur de sacerdotibus cleri saecularis ex canonico titulo sibi propriis;

[1]) Acta Apostolicae Sedis VI, 182 ss.

[2]) Cfr. can. 113.

b) ut hi post ordinationem suam saltem per aliquot annos diocesi deservierint;

c) et intra hoc tempus, sicut antea in Seminario, intemeratae vitae certum argumentum praestiterint, et sufficienti scientia sint instructi, adeo ut solidam spem praebeant, aedificandi verbo et exemplo populos ad quos transire postulant, et sacerdotalem dignitatem numquam a se maculatum iri, prout iterato praecedentibus decretis Apostolica Sedes praescripsit;

d) dummodo ad migrandum iustam habeant causam, e. g. desiderium se addicendi spirituali adsistentiae suorum concivium vel aliorum illic commorantium, necessitatem valetudinis curandae, vel aliud simile motivum, coherenter ad ea quae canon 116 Codicis in casu excardinationis requirit;

e) sub lege, *quae sub gravi ab utroque Ordinario servanda erit,* ut Episcopus dimittens, antequam licentiam ac discessoriales litteras concedat, directe pertractet cum Episcopo *ad quem,* illumque de sacerdotis aetate, vita, moribus, studiis e migrandi motivis doceat, ab eoque requirat, an dispositus sit ad illum acceptandum et ad aliquod ecclesiasticum ministerium eidem tribuendum, quod in simplici missae celebratione consistere non debet, quoties migrans sacerdos aetate iuvenili et integris viribus polleat; neque licentiam et discessoriales litteras sacerdoti antea concedat quam responsionem ad utrumque affirmativam assecutus sit;

f) Episcopus autem *ad quem* exhibitum sacerdotem non acceptet, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae id exigat vel suadeat, aut alia iusta et rationabilis causa intercedat.

2. Discessoriales litterae non communi sed specifica forma conficiendae erunt, hoc est, exprimere debebunt consensum sive temporaneum, sive perpetuum vel ad beneplacitum Episcopi dimittentis, acceptationem Episcopi *ad quem*, et notas sacerdotis individuas, aetatis scilicet, originis, aliasque, quibus persona describatur, adeo ut nemo circa eius *identitatem* decipi possit: aliter autem confectae litterae nihil valeant et nullae habeantur.

3. Firma manet praescriptio in decreto *Ethnographica studia* statuta, qua Italiae Ordinarii relevantur ab onere dimissoriales litteras, de quibus in superiori articulo sermo est, conficiendi; sed peractis iis quae sub n. 1 statuta sunt, rem deferent ad Sacram hanc Congregationem, quae licentiam scripto dabit cum utroque Ordinario communicandam.

4. Idem statuitur pro Episcopis Hispaniae et Lusitaniae, hac una differentia, quod onus licentiam concedendi attribuitur et reservatur Apostolicae Sedis apud eas nationes Legato.

5. Qui hisce litteris vel licentia carent, ad sacri ministerii exercitium admitti nequibunt: qui vero iis pollent, admittentur etiam in locis transitus, nisi peculiaris aliqua extraordinaria ratio obsistat, si ibidem infirmitatis aut alia iusta causa commorari parumper coacti fuerint.

6. Hisce servatis normis aliisque quae in tit. I, lib. II Codicis statutae sunt, sacerdotes ex Europae dioecesibus dimissi, in Americae et insularum Philippinarum dioecesibus, utroque Ordinario consentiente, incardinari etiam poterunt.

7. Sacerdotes ex Europae dioecesibus dimissi ex

una in aliam Americae et insularum Philippinarum dioecesim transire poterunt, Episcopo *a quo* discedere desiderant et Episcopo *ad quem* pergere optant consentientibus, servatis in substantialibus normis sub nn. I et II positis, et docto quamprimum Ordinario sacerdotis proprio, vel, si agatur de sacerdotibus Italis, Hispanis et Lusitanis, S. Sedis officio a quo prima demigrandi licentia promanavit. Obligatio autem docendi Ordinarium sacerdotis proprium vel S. Sedis officium spectabit ad Episcopum qui sacerdotem in sua nova demigratione recipit.

8. Curae et sollicitudini Ordinariorum Americae et insularum Philippinarum enixe commendatur ut provideant quo emigrati sacerdotes in domibus privatis vel in diversoriis, sive publicis hospitiis, non commorentur, sed in aedibus ecclesiasticis ad rem instructis vel instruendis, aut penes aliquem parochum vel religiosos viros. Quod si absque legitima causa parere recusent, eos post factam monitionem peremptoriam a missae celebratione interdicant.

9. Religiosi, dum in sua religione perseverant, trans Oceanum ad alias suae religionis domus mitti a suis superioribus valebunt, hac una lege servata, super cuius observantia superiorum conscientia graviter oneratur, ut agatur de religiosis qui sint intemeratae vitae, bonae exploratae que vocationis et studiis ecclesiasticis bene instructi; adeo ut retineri tuto possit, in bonum animarum et aedificationem fidelium eorum missionem esse cessuram.

10. Religiosi exclaustrati, pro tempore quo extra conventum morantur, et religiosi saecularizati eadem tenentur lege ac clerici saeculares.

CAPUT II. — 11. Clerici saeculares, qui ex Europa vel ex Mediterranei oris in Americam vel in insulas Philippinas ad breve tempus, *semestre* non excedens, pergere cupiunt, acceptatione non indigent Ordinarii illius loci, vel illorum locorum ad quae proficiscuntur, prout pro diuturna vel stabili commoratione requiritur.

12. Sed debent:

a) iustam honestamve causam itineris suscipiendi habere eamque Ordinario suo patefacere, ut discessorias litteras ab eo impetrare valeant;

b) muniri discessorialibus litteris Ordinarii sui, non in forma communi, sed in forma specifica, cohaerenter ad ea quae superiori num. 2 praescripta sunt, causa temporanei itineris et spatio temporis in indulto indicatis;

c) reportare S. Sedis beneplacitum, quod dandum erit vel ab hac S. Congregatione, vel ab Apostolicae Sedis Legatis, in locis ubi hi adsint; nisi urgens aliqua causa discessum absque mora exigat: quo in casu in litteris discessorialibus id erit exprimendum;

d) in quolibet casu instrui sufficienti pecuniae summa nedum pro itinere decenter suscipiendo, sed etiam pro regressu: ad quem finem Ordinarius cavere debet, ut summa ad revertendum necessaria deponatur penes aliquam nummulariam mensam, aut alio modo tuta sit, ne ulla reversioni obstet pecuniae difficultas.

13. Religiosi exclaustrati, durante exclaustrationis tempore, et religiosi saecularizati hac ipsa lege tenentur.

14. Exspirato spatio temporanei indulti, si quis ex infirmitate aut alia iusta vel necessaria causa redire non valeat, Ordinarius loci licentiam prorogare

poterit, docto tamen statim Ordinario sacerdotis proprio et S. Sedis officio, a quo beneplacitum discessus datum fuit.

CAPUT III. — 15. Leges de sacerdotibus migrantibus latae eos quoque attingant sacerdotes, qui, aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis., Europa minima excepta, agricolis aliisque operariis demigrantibus suum praestant ministerium, sive curam hanc sponte sua suscipiant, sive ad hoc assumantur officium ab aliquo ex iis *Operibus*, quae in migrantium commodum providenter hac nostra aetate instituta sunt.

16. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant; a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione.

* *
*

SS.mus autem D. N. Benedictus PP. XV resolutiones E.morum Patrum ratas habuit et confirmavit, easque publici iuris fieri iussit et ab omnibus ad quos spectat ad unguem ex conscientia servari, ceteris praescriptionibus quae in decreto *Ethnographica studia* continentur cessantibus, et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex S. C. Consistoriali, die 30 decembris 1918.

† C. Card. *De Lai*, Ep. Sabinen., Secretarius.

L. † S.

† *V. Sardi*, Archiep. Caesarien., Adsessor.

IV.

Facultates Legatis Apostolicis et Ordinariis tum in dioecesibus tum in terris Missionum a Sancta Sede concessae.

1. Index facultatum, quas pro locis missionis suae Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis penes Civitates seu Nationes post Codicis iuris canonici publicationem tribuere SS.mus Dominus Noster Benedictus PP. XV decrevit, ceteris abrogatis, de anno 1920. Il Monitore Ecclesiastico XXXII (1920) 137 ss., Archiv für katholisches Kirchenrecht CII, 57 ss.

Scriptores: Leo Mergentheim, Die Quinquennal-Fakultäten pro foro externo. Ihre Entstehung und erste Einführung in deutschen Bistümern. (Kirchenrechtliche Abhandlungen, herausgeg. von Ulrich Stutz, Bd. 52—55). Stuttgart 1908, Idem, Zur Entstehungsgeschichte der Quinquennalfakultäten pro foro externo, in: Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte Bd. XXXIII, Kanonistische Abteilung II (1912), 100 ss. A. Vermeersch, Facultatum quae post Codicem legatis apostolicis concedi consueverunt breve Commentarium, in: Periodica A. Vermeersch XII, 69 ss.

CAPUT I. *Facultates ordinis generalis.*

1. Facultas visitandi sive per se, sive per ecclesiasticum virum probitate, prudentia ac doctrina praestantem personas, loca et res, de quibus in can. 344, 512, 1382 Codicis in casibus tamen particularibus et non per modum generalis visitationis; dummodo visitatio ipsa necessaria et urgens videatur, Ordinarius impeditus sit vel negligens, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

2. Conficiendi sive per se sive per alium virum ecclesiastica dignitate exornatum, acta omnia seu processus, ut vocant, pro iis qui ad Episcopalem seu Archiepiscopalem dignitatem ab hac S. Sede sunt designati iuxta normas pro singulis nationibus datas.

3. Conferendi personis idoneis ea beneficia, de quibus in can. 1345, § 1, n. 1 et 3 servatis regulis ab Ap. Dataria datis vel dandis.

4. Absolvendi, iniunctis de iure iniungendis, tum in foro conscientiae, tum etiam in foro externo, pro casuum diversitate, ab omnibus censuris a iure sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

5. Dispensandi pro iam Ordinatis ad effectum tam Missam celebrandi, quam consequendi et retinendi beneficia ecclesiastica, super quibuscunque irregularitatibus tum ex delicto tum et defectu provenientibus, dummodo exinde scandalum non oriatur, nec divinis pariatur impedimentum, iis semper exceptis de quibus in can. 985, n. 4, et praevia abiuratione in manibus absolventis, quando agitur de crimine haeresis vel schismatis.

6. Indulgendi ex causa paupertatis, iis qui Missarum sive manualium sive fundatarum applicationem omiserint, ut quoad praeteritum tempus obligationem suam paullatim adimplere valeant, ita nempe, ut faciant quantum possunt pro integra satisfactione oneris Missarum quo gravantur, celebrando vel per se vel per alium singulis mensibus aliquem Missarum numerum, iuxta eorum vires, de bono et aequo a concedente et in casibus occultis, a confessario determinandum.

Moneantur autem praedictarum omissionum rei, si ita faciendo ante completam huismodi satisfactionem obierint, nec habeant quid pro eodem onere sive in toto sive in parte adimplendo reliquant, Missas quae post eorum obitum celebrandae supererunt, ipsis, dum pie in Christo decedunt, condonatas fore censeri, defectum quemcumque tunc supplente Sancta Sede de thesauro Ecclesiae.

Item concedendi, si in aliquo casu ob peculiaria omnino rerum adiuncta expediens in Domino videatur, ut ad certum numerum iuxta vires petentis Missae, quoad praeteritum pariter tempus, reducantur, dummodo non agatur de recidivis, supplente pariter Sanctitate Sua reliquarum Missarum defectum de Ecclesiae thesauro.

7. Admittendi in foro interno eos, qui beneficiis ecclesiasticis etiam cum cura animarum instructi recitationem horarum canonicarum omiserint, ad discretam compositionem, eaque mediante fructus male perceptos condonandi, pecuniis exinde redactis in pia opera arbitrio Sedis Apostolicae erogatis.

Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, praedictos fructus condonandi, iniuncta pro eorum viribus eleemosyna, pro suo vel confessarii prudenti iudicio determinanda.

Et haec quidem, sine praeiudicio illorum, quibus distributiones accrescere vel non decrescere debent, sint et censeantur ordinata.

8. Condonandi in foro interno fructus ex beneficio ob simoniam realem invalide obtento indebite perceptos, iniuncta congrua poenitentia salutari, cum aliqua eleemosyna iuxta vires poenitentis taxanda, et impo-

sita eiusdem beneficii dimissione. Quatenus vero ob iustas et rationabiles causas beneficium dimitti non expediat, praesertim vero si idem parochiale sit, et non adsint qui parochiis praefici possint, titulum ipsius beneficii convalidandi.

9. Absolvendi vel per se vel per alias idoneas ecclesiasticas personas a se deputandas eos omnes qui fundos olim ecclesiasticos et a plurimis annis Ecclesiae per civiles leges ablatos nunc possident, vel titulo hereditatis a suis maioribus accepto, vel titulo emptionis seu similis contractus cum tertiis possessoribus initis, eosque singulos habiles reddendi ad praedictos fundos tamquam proprios licite habendos, de iisque tam inter vivos, quam mortis causa libere disponendi, imposita pro una vice tantum congrua eleemosyna iuxta prudens absolventis iudicium, favore alicuius Ecclesiae vel pii operis eroganda.

10. Dispensandi, quando ita in Domino expedire videbitur, super lege abstinentiae, diebus praescriptis, etiam tempore ieiuniorum et quadragesimae, in casibus particularibus.

11. Permittendi clericis et religiosis, uti singulis, ut rationabili de causa quocumque anni tempore, privata Matutini cum laudibus recitatio anticipari possit statim post meridiem.

12. Commutandi, ob visus debilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque durante, obligationem recitandi horas canonicas in quotidianam recitationem integri rosarii B. M. V. vel aliarum piarum precum quae congruae sint, citra exemptionem a Choro, quatenus is qui commutationem obtinuit ad illum accedere teneatur.

13. Dispensandi, in casibus urgentibus, a gradibus academicis ad assequendas praebendas canonicales, quae ex lege fundationis ipsos gradus requirant, dummodo nullum praeiudicium aliorum iuribus inferatur.

14. Concedendi ad normam Const. *Officiorum et munerum* [1]) facultatem retinendi ac legendi prohibitos libros et ephemerides, cum cautelis et sub limitationibus quae necessaria vel utilia in singulis casibus videbuntur, et in usu penes S. Congr. S. Officii sunt.

15. Commutandi aut dispensandi, consideratis causis, omnia vota simplicia private emissa, etiam Apostolicae Sedi reservata, exceptis votis in quibus agitur de tertii praeiudicio.

16. Dispensandi ex iusta causa a quovis iuramento, dummodo tertii praeiudicium non adsit.

17. Remittendi seu condonandi, *pro foro conscientiae tantum,* delinquentibus pauperibus partem aliquam male ablatorum, aut retentorum, quando domini incerti sunt et casus occulti; ita tamen ut residuum, si quod adsit, vel aliqua alia summa vel pars pro viribus taxanda pauperibus loci distribuatur vel in pia opera eiusdem loci, si fieri possit, distribuatur.

18. Recipiendi, aut delegandi in singulis casibus alium idoneum ecclesiasticum virum, ut recipiat denunciationes de crimine sollicitationis, servatis in omnibus forma et tenore Instructionis quae a S. Officio danda erit.

19. Prorogandi ad breve aliquod tempus facultates, indulgentias et indulta a S. Sede concessa, quae exspiraverint quin tempestive postulatio pro eorum prorogatione ad S. Sedem missa fuerit, facta tamen obli-

[1]) die 25. Jan. 1897, in: Acta Sanctae Sedis XXIX, 388 ss.

gatione statim recurrendi ad eamdem S. Sedem pro gratia aut (si petitio iam facta fuerit) pro responsione obtinenda.

CAPUT II. *Facultates circa indulgentias.*

20. Concedendi sexies in anno, occurrente aliqua solemnitate plenariam Indulgentiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti Ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis aliquo temporis spatio oraverint.

Fidelibus vero qui in loco habitent, ubi impossibile vel difficile admodum sit confessarii copiam habere, concedendi, ut praedictas Indulgentias lucrari valeant, dummodo actuali sacramentorum susceptioni pium aliquod opus substituant, ac corde saltem contriti firmiter proponant admissa confiteri quam primum poterunt.

21. Impertiendi ter in anno et non in eodem loco, diebus a se eligendis, benedictionem papalem iuxta formulam typis impressam atque insertam, cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro S. Fidei propagatione et S. R. Ecclesiae exaltatione oraverint.

22. Concedendi pariter, non tamen in perpetuum sed ad tempus sibi benevisum, omnibus Christifidelibus contritis et confessis ac Sacra Communione refectis Indulgentiam plenariam in oratione 40 Horarum, quoties in anno a respectivis locorum Ordinariis indicatur, etiamsi, ex rationabili causa, in aliquibus non servetur *Instructio Clementina*[1]).

[1]) Instructio Clementis XI, die 21. Jan. 1705.

23. Item concedendi plenariam Indulgentiam primo conversis ab haeresi et ad sinum Catholicae Ecclesiae redeuntibus, in actu eorum conversionis.

24. Concedendi in casibus particularibus vel ad tempus indulgentiam plenariam occasione SS. Missionum, servatis consuetis regulis.

25. Declarandi privilegiatum quotidianum perpetuum in qualibet ecclesia territorii suae iurisdictionis unum altare ad tramitem can. 916.

26. Concedendi bis centum dies de vera indulgentia omnibus praesentibus in sacris functionibus a se peractis, durante munere.

27. Erigendi sacras Stationes Viae Crucis cum applicatione indulgentiarum, et pia sodalitia Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo et Septem Dolorum; cum potestate communicandi huiusmodi facultatem ecclesiasticis viris pro suo prudenti arbitrio; sub lege tamen et conditione ut haec facultas non exerceatur ubi coenobia adsint religiosorum, qui ex apostolica concessione eiusmodi privilegiis gaudent.

Item ecclesiasticis viris facultatem concedendi sub eadem lege et conditione benedicendi et imponendi scapularia praedictarum sodalitatum.

28. Concedendi ut indulgentiae, de quibus in praecedentibus articulis, applicabiles etiam sint per modum suffragii animabus in Purgatorio degentibus.

CAPUT III. *Facultates circa matrimonium.*

29. Dispensandi ab impedimentis impedientibus de quibus in cap. III, tit. VII, lib. III Codicis, servatis ad unguem regulis ibidem positis, praesertim quoad dispensationes ob mixtam religionem, et docta, quo-

tannis ante Pascha, S. Congr. S. Officii de numero aliisque adiunctis dispensationum, quae anno praecedenti circa mixtam religionem datae sunt.

30. Dispensandi pro . . . . . vicibus ex gravi causa ab omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium, iuris tamen ecclesiastici, sive publicis sive occultis, sive minoris sive maioris gradus, iis tamen exceptis quae ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, ex ordine sacro et solemni professione religiosa proveniunt.

Quo vero ad impedimentum dirimens disparitatis cultus, fas non sit dispensationem concedere nisi servatis iis quae in canonibus 1060—1064 praescripta sunt, et quoad matrimonia cum hebraeis vel mahumedanis, dummodo constet de status libertate partis fidelis ad removendum periculum polygamiae, absit periculum circumcisionis prolis, et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

Nupturientes aliquam oblationem, si fieri potest. iuxta vires persolvant, quam ipse Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus transmittet ad S. Congregationem S. Officii, si agatur de impedimento disparitatis cultus, aut ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, si agatur de aliis impedimentis.

31. Sanandi in radice pro . . . . . vicibus matrimonia nulla ob impedimentum dirimens, de quo in numero 30, quando moraliter impossibilis est renovatio consensus modo ordinario, monita parte impedimendi conscia de sanationis effectu. Rescriptum vero huiusmodi sanationis in Curia Episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de

matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare possit.

Sed si matrimonium fuerit nullum ob defectum formae, danda non erit sanatio nisi in casu quo altera pars renuat renovare consensum iuxta formam, aut, si id ab ea exigatur, grave immineat alteri parti malūm vel periculum.

Quod si matrimonium fuerit nullum ob non servatam formam in casu mixtae religionis aut disparitatis cultus, et pars acatholica induci non possit ad renovandum consensum iuxta leges Ecclesiae, danda non erit sanatio in radice, nisi assumptis a parte fideli obligationibus curandi pro viribus conversionem coniugis et educationem prolis in fide catholica, concessa eidem absolutione a censuris, si coram acatholico matrimonium attentaverit, ipsaque monita de gravi patrato scelere.

CAPUT IV. *Facultates circa cetera Sacramenta et Sacros Ritus.*

32. Deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento Confirmationis in iis regionibus dumtaxat in quibus Episcopi desunt, servatis praescriptis can. 781, § 1, 782 § 4 et 784; idque ad tempus aliquod determinatum.

33. Permittendi singulis vicibus, vel ad tempus, feria V in Coena Domini unicam missam lectam in Oratoriis publicis.

34. Concedendi sacerdotibus infirmis, durante infirma valetudine, aut aetate devexis indultum Oratorii privati, in quo missam celebrent, servatis canonicis regulis.

35. Concedendi pro sacerdotibus suae iurisdic-

tionis usum comae adscititiae tempore celebrationis Missae, data vera eorum necessitate.

36. Concedendi in casibus particularibus indultum celebrandi extra ecclesiam et oratorium et erigendi altare sub dio ex rationabili causa, ad tramitem can. 822, § 4.

37. Permittendi sacerdotibus navigantibus sive in mare sive in fluminibus, ut in navi Missam celebrare possint super altare portatili, dummodo locus in quo Missa celebratur nihil indecens aut indecorum praeseferat et periculum absit calicis effusionis.

38. Consecrandi sive per se sive per simplices presbyteros a se deputandos altaria tum fixa tum portatilia, quae ex aliquo defectu pristinam consecrationem amiserunt, servatis tamen omnibus in Instructione S. Rituum Congregationis ad rem in *Ritu et formula breviori* praescriptis.

39. Indulgendi, ex rationabili causa, in casibus particularibus, vel ad tempus, ut Sacrosanctum Missae sacrificium peragi possit a tertia hora post mediam noctem.

40. Indulgendi ad tempus ut in aliqua ecclesia bis vel ter in hebdomada, de consensu Ordinarii, Missa *de Requie* celebrari possit etiam diebus ritus duplicis, exceptis tamen festis duplicibus I et II classis, dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis.

41. Concedendi presbyteris, ex utroque clero, visivae potentiae debilitate laborantibus, vel alia infirmitate detentis, facultatem celebrandi Missam votivam Deiparae Virginis, aut defunctorum, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis adsistentia, et firmo

permanente onere, si sint parochi, explicandi Evangelium diebus praescriptis.

Item eandem facultatem concedendi sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper adsistentia alterius sacerdotis, aut diaconi, et dummodo, facto experimento, comperiantur in nullo defecisse.

42. Concedendi infirmis decumbentibus de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis a quo decumbunt, ut S. Communionem sumere possint semel in hebdomada non servato ieiunio, hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid ad modum potus antea sumpserint (can. 858, § 2).

Concedendi infirmis non decumbentibus, qui tamen tali morbo laborant, quo, iudicio medici, ieiunium sine discrimine servare nequeant, ut communionem, semel in hebdomada percipere valeant non servato ieiunio, ut supra.

43. Indulgendi per modum actus ut in ecclesiis, in quibus festum alicuius Sancti in *Martyrologio Romano* descripti, vel alias ab Apostolica Sede approbatum, solemniter celebretur, quod cum officio illius diei minime congruat, dici possint tum Missa solemnis cum cantu, tum etiam Missae lectae de eodem festo, dummodo non occurat duplex vel dominica primae classis, aut Vigilia Nativitatis D. N. I. C. vel Vigilia Pentecostes, vel dies octava Nativitatis D. N. I. C. (Circumcisio D.ni), dies octava Epiphaniae vel SS.mi Corporis Christi aut feria IV Cinerum, vel integra maior hebdomada.

44. Deputandi, in locis iurisdictionis sibi commissae, in casibus particularibus, vel ad tempus aliquem sacerdotem cum facultate *consecrandi,* iuxta for-

mam in *Pontificali Romano* praescriptam, calices, patenas et altarium lapides, adhibitis sacris oleis ab Episcopo catholico benedictis.

45. Benedicendi Campanas et consecrandi Ecclesias, monito tamen loci Ordinario eoque non renuente.

CAPUT V. *De Facultatibus circa Religiosos.*

46. Cognoscendi in casibus extraordinariis et urgente necessitate super statu alicuius domus Religionis cuiuslibet: conferendo cum Superioribus consilium et operam ut opportuna abusibus remedia adhibeantur, et Religiosi ad sui status perfectionem reducantur, certiore tamen facta quam primum Apostolica Sede, si quid novi in utilitatem claustralium communitatum decernendum esse videatur.

47. Dispensandi iusta de causa postulante Communitate super defectu dotis in religione pro sororibus aut monialibus requisitae.

48. Concedendi in casibus particularibus, vel ad tempus, Ordinariis dioecesanis facultatem praeficiendi paroeciis Religiosos in defectu sacerdotum saecularium, de consensu tamen suorum Superiorum, et cum clausula ut saltem duo alii religiosi cum parocho cohabitent, servatisque in reliquis sacrorum canonum dispositionibus.

49. Indulgendi monialibus in casu infirmitatis, aliisque iustis gravibusque de causis, ut *extra claustra* per tempus prudenti arbitrio praefiniendum manere possint, ita tamen ut cum adsociatione et adsistentia suorum consanguineorum vel affinium aut alicuius honestae mulieris semper incedant, domi et alibi vitam religiosam ducant a virorum frequentia semotam, prout Deo sacratas virgines decet, firmo praescripto can. 639.

50. Dispensandi religiosos utriusque sexus, *pro foro conscientiae tantum*, a regressu in Religionem et permittendi ut in saeculo remaneant, quoties hi invalide obtinuerint declarationem nullitatis votorum, dummodo tamen haec invaliditas occulta sit, firmo semper manente voto castitatis perpetuae, servatisque aliorum votorum substantialibus, usquedum peculiarem dispensationem a S. Sede hac de re assequantur, et si sint sacerdotes, facta lege ut habitum sacerdotis saecularis induant.

CAPUT VI. *Facultates pro ipso Nuntio, Internuntio, seu Delegato.*

51. Recitandi divinum officium et missam celebrandi iuxta kalendarium romanum pro clero Urbis; idque concedendi sacerdotibus secum commorantibus sibique subiectis.

52. Adservandi in sacello domus stabilis suae residentiae SS.mum Eucharistiae sacramentum, ea lege ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur.

Sacellum autem ipsum ex Summi Pontificis venia qua publicum erit.

53. Administrandi sacramentum Confirmationis in ditione universa suae iurisdictioni obnoxia, nec non durante maritimo itinere tam in accessu quam in recessu a loco missionis suae.

54. Excipiendi sacramentales confessiones fidelium utriusque sexus in locis et in maritimo itinere, uti supra.

55. Lucrandi sibi indulgentias quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit.

ANIMADVERSIO. — 1. Facultates, quae superius continentur in cap. II et III, et eae quae recensentur sub numeris 1, 3 et 18, cap. I; 32 et 38, cap. IV; 46, cap. V; et 53, 54, 55, cap. VI, non conceduntur nisi iis qui sunt charactere episcopali insigniti; ideoque ad eos, et signanter ad Auditorem vel Secretarium quibus durante Nuntiaturae, Internuntiaturae vel Delegationis vacatione negotiorum gestio fuerit commissa, non intelliguntur adtributae nisi expresse id dicatur, quamvis commissio regendi officium cum facultatibus ordinariis eisdem concessa sit.

2. Caveat Pontificius Administer ne indulta quae ad tempus concedere potest, ultra quinquennium vel decennium protrahat.

Datum Romae, ...

Addizioni alle facoltà dei Rappresentanti Pontifici.

a) Vacante in territorio iurisdictionis Nuntii, Internuntii vel Delegati aliqua dioecesi, fas sit Nuntio, Internuntio vel Delegato, rogante Vicario Capitulari vel Administratore dioecesis, eadem omnia concedere quae sunt in potestate ordinaria Episcopi.

b) Quoties urgeat necessitas, evidens sit utilitas, et periculum sit in mora, facultas conceditur permittendi alienationes bonorum ecclesiasticorum vel piarum causarum, usque ad valorem 60 millium francorum pro regionibus Europae, et 100 millium extra Europam.

c) Permittendi ingressum in Seminarium illegitimis, dummodo non agatur de adulterinis aut sacrilegis, si de coetero conditiones ad ingressum in pium locum necessariae habeantur, et firma obligatione recurrendi ad S. Sedem pro eorum sacra ordinatione.

d) In locis ubi ob defectum vel nimiam distantiam

parochorum succurrendum sit fidelium necessitatibus ope Sacrarum Missionum illuc identidem mittendarum, tribuendi Praesidi seu Superiori Missionis ut ipse qua parochus, ceteri Missionarii qua eius vicarii cooperatores, ea omnia possint pro fidelibus ad illam Missionem pertinentibus vel ad eam accedentibus. quae ceteri parochi et vicarii cooperatores in suis paroeciis possunt.

Item concedendi eidem Praesidi seu Superiori Missionis in loco Missionis ut supra, facultates quibus Vicarii Generales pollent, et quas Canones *Codicis* 1043—1057 statuunt, et Ordinariis pro matrimoniis tribuunt. Itemque concedendi potestatem confirmandi iuxta n. 33 *Indicis*. .

Officii autem erit Superioris Missionis, docere Ordinarium loci de potestate sibi facta a Nuntio, Internuntio vel Delegato Apostolico, ab eoque obtinere, quatenus fieri possit, Missionis finium designationem: expleta vero Missione eidem Ordinario adnotationem praebere de sacramentis in loco Missionis administratis, prout parochi pro sua parochia tenentur.

Denique hanc ipsam potestatem poterit Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus, in casibus particularibus, subdelegare Episcopis qui in loco suae iurisdictionis sunt.

Praeterea n. 27 Indicis ita rediqatur:

27. Communicandi ecclesiasticis viris facultatem erigendi sacras Stationes Viae Crucis cum applicatione indulgentiarum et pia sodalitia Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo et Septem Dolorum, sub lege tamen et conditione ut haec facultas (cetera ut in textu).

Ex aedibus Sacrae Congr. Consistorialis, 16 iunii 1920.

2. Index facultatum quinquennalium, quae Ordinariis dioeceseon a Sacra Congregatione Consistoriali tribuuntur, de anno 1923 [1]).

FORMULA III [2]).

B.

Facultates additionales S. Congregationis S. Officii:

1°. Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento mixtae religionis, et, etiam super disparitate cultus, ad cautelam; quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicae, quaterus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci, aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter ad praescriptum Cod. J. C. can. 1061, § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et *Ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri,* scilicet: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam [3]).

---

[1]) Quae facultates secundum Motum proprium Pii XI „Post datam“ diei 20. Aprilis 1923 in novam formulam redactae sunt. A. A. S. XV, 193.

[2]) Haec formula valet pro Episcopis Germaniae.

[3]) Omnes cautiones, hic requisitae, praescribuntur can. 1061 § 1 n. 1—3.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. J. C. can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae, a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1, n. 1°, stricte coeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063 § 2.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur, et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, praevia eius absolutione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis poenitentiis salutaribus.

2°. Sanandi in radice matrimonia attentata coram officiali civili vel ministro acatholico a suis subditis etiam extra territorium, aut non subditis, intra limites proprii territorii, cum impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, dummodo consensus in utroque coniuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi; sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones praestandas, ad praescriptum Cod. J. C. can. 1061 § 2, ullo modo induci nequeat; dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo Ipse dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem Ordinarius serio moneat partem ca-

tholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, et si casus ferat, eam ab excommunicatione absolvat iuxta Cod. J. C. can. 2319 § 1, n. 1°, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate, et prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, Ordinarius mandet, ut singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractae executionis diligenter custodiatur in Curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libro baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transscribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

Adnotanda. — 1°. In singulis praefatis sive dispensationibus sive sanationibus concedendis, Ordinarius expressam faciat mentionem Apostolicae delegationis (Cod. J. C. can. 1057); et quod attinet ad facultatem sanandi in radice, mens est eiusdem S. Congregationis ut Ipse nonnisi parochos, singulis vicibus, subdelegare possit.

2°. Idem Ordinarius in fine cuiuslibet anni referat ad S. Congregationem S. Officii, per tramitem S. Congregationis Consistorialis, de numero et specie dis-

pensationum quas vigore praesentis Indulti Ipse fuerit elargitus.

Ex S. Congregatione S. Officii:

1°. Concedendi, non ultra triennium, licentiam legendi ac retinendi, sub custodia tamen ne ad aliorum manus perveniant, libros quoscumque prohibitos [1]) et ephemerides, non exceptis operibus haeresim vel schisma ex professo propugnantibus, vel etiam ipsa religionis fundamenta evertere nitentibus, iis christifidelibus sibi subditis, qui eorundem lectione, sive ad effectum eos impugnandi sive in sacri ministerii vel proprii muneris honestorumque studiorum subsidium, vere indigeant; exceptis operibus de obscoenis ex professo tractantibus.

2°. Pariter concedendi sub eadem temporis duratione, adolescentibus utriusque sexus, qui in publicis scholis, studiorum causa, versari debent, licentiam legendi ac retinendi, sub custodia, ut supra, ne ad aliorum manus perveniant, libros prohibitos, quos laicae potestatis imperio, vel ex necessitate studiorum, prae manibus habere coguntur, quamdiu in ea sint necessitate; exceptis tamen operibus de obscoenis ex professo tractantibus.

Adnotandum. — Utraque recensita facultas Ordinariis conceditur per se ipsos exercenda, seu nemini deleganda; et graviter onerata ipsorum conscientia super reali omnium memoratarum conditionum concursu.

Ex S. Congregatione de disciplina Sacramentorum:

1. Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in

[1]) Libri ipso iure prohibiti enumerantur can. 1399 CJC.

Can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus de quibus in Can. 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2. Dispensandi *ex gravi urgentique causa* quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis maioris gradus infra recensitis [1]):

a) consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo.

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3. Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4. Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

Adnotanda. — 1°. Ordinarius recensitis facultati-

[1]) Haec facultas Ordinariis iam competit vi can. 81 CJC.

bus, sive per se sive alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam Canonis 1057.

2°. In usu earundem facultatum prae oculis habeantur quae in Can. a 1048 usque 1054 statuta reperiuntur.

3°. Ordinarius in fine cuiuslibet anni, per tramitem S. Congregationis Consistorialis, referat ad Sacram Congregationem Sacramentorum de numero et specie dispensationum quas vigore praesentis Indulti Ipse fuerit elargitus.

Ex S. Congregatione Concilii:

1. Reducendi per quinquennium, ob diminutionem redituum, perpetua missarum onera ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, quoties nemo sit qui de iure teneatur et utiliter cogi queat ad eleemosynae augmentum, et sub lege ut de Missarum ita reductarum satisfactione a singulis celebrantibus Curia dioecesana quovis anno legitime doceatur.

2. Transferendi per quinquennium intra fines dioecesis onera Missarum in dies, ecclesias vel altaria alia a fundatione statuta, dummodo adsit vera necessitas nec divinus cultus idcirco minuatur aut populi commoditati praeiudicium inferatur, exceptis tamen legatis quae in certis locis adimpleri facile possunt per eleemosynae augmentum, et cauto ut de translatarum Missarum satisfactione quovis anno Curia dioecesana a singulis celebrantibus legitime doceatur.

3. Transferendi per quinquennium exuberantia Missarum onera etiam extra dioecesim, cauto tamen ut quam maximus Missarum numerus intra fines dioecesis celebretur atque adamussim serventur praescripta Codicis Juris Canonici circa cautelas adhibendas in Missis committendis [1]).

Ex S. Congregatione Religiosorum:

1. Dispensandi, ad petitionem Superiorum, super illegitimitate natalium ad ingrediendum in Religionem, quatenus a Constitutionibus Instituti requiratur, dummodo ne agatur de prole sacrilego commercio orta, et dispensati ad munia maiora ne eligantur iuxta praescriptum can. 504.

2. Permittendi celebrationem trium Missarum de ritu in nocte Nativitatis D. N. J. C. in ecclesiis Religiosorum non comprehensis in can. 821 § 3, cum facultate pro adstantibus ad S. Synaxim accedendi, ita tamen ut dictae tres Missae ab uno eodemque Sacerdote celebrantur.

3. Dispensandi super aetatis excessu pro admittendis ad habitum religiosum, quatenus a Constitutionibus Instituti requiratur, audita in singulis casibus Superiorissa Generali vel Provinciali atque praevio earum consensu et respectivi Consilii, dummodo postulantes aetatem 40 annorum ne excesserint et polleant coeteris qualitatibus requisitis.

4. Dispensandi super defectu aetatis canonicae ad S. Ordinem Presbyteratus, non ultra sexdecim menses, etiam pro Religiosis exemptis [2]), dummodo a suis Superioribus litteras dimissoriales acceperint et qua-

[1]) Vide can. a. 838 usque ad 840.

[2]) Haec facultas non valet pro clericis saecularibus.

tenus ordinandi ceteras qualitates habeant a SS. Canonibus requisitas et praesertim curriculum theologicum expleverint ad normam Canonis 976, 2° Codicis J. C.

5. Dispensandi super dotis defectu cum Monialibus et Sororibus in toto vel in parte, dummodo status oeconomicus Instituti detrimentum ne patiatur et postulantes talibus sint praeditae qualitatibus, ut eas magnae utilitatis Instituto fore certa spes habeatur.

6. Confirmandi Confessarium ad quartum et quintum triennium, dummodo maioris partis Religiosarum, convocatis etiam iis, quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium consensus capitulariter ac per secreta suffragia praestandus, prius accedat, proviso pro dissentientibus, si quae sint ac velint.

7. Permittendi celebrationem SS. Missae Sacrificii Feria V in Coena Domini, facta licentia personis habitualiter in Communitate commorantibus sese reficiendi S.Synaxi, etiam ad adimplementum praeceptum paschale.

8. Permittendi Monialibus descensum in Ecclesiam, ut ipsae eam maiori sollertia mundare et decorare possint, exeuntibus prius ab Ecclesia extraneis omnibus, non exceptis ipsis Confessario et Monasterio inservientibus et extra Claustra degentibus; portae illius claudantur et claves Superiorissae tradantur, Moniales vero semper binae sint et porta per quam aditus interior ad Ecclesiam patet duplici clavi claudatur, quarum una a Superiorissa, altera a Sanctimoniali ab Ordinario deputanda custodiatur et non aperiatur nisi in casibus enunciatis et cum praescriptis cautelis [1]).

[1]) Per novissimam Instructionem S. Congregationis de Religiosis diei 6. Febr. 1924 S. Sedes se paratam declaravit,

9. Permittendi Monialibus egressum e claustris urgente casu operationis chirurgicae subeundae, quamvis non secumferat periculum mortis imminentis aut gravissimi mali, per tempus stricte necessarium, praescriptis debitis cautelis.

Ex S. Congregatione Rituum:

1. Deputandi vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum ad altaria fixa et portatilia consecranda, servato ritu et forma Pontificalis Romani.

2. Deputandi sacerdotes, si fieri potest, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad altaria fixa et portatilia exsecrata consecranda, adhibita formula breviori B pro casibus can. 1200 § 2 Cod. J. C.; dum in casu can. 1200 § 1, iam indulta fuit per se ipsum canonem facultas et adhibenda est formula A.[1]).

3. Deputandi vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum, ad consecrandos calices et patenas, servato ritu et forma Pontificalis Romani.

4. Quando in Missa Hebdomadae Maioris dicitur *Passio,* pro sacerdotibus qui binas Missas, e speciali Indulto Apostolico[2]) obtinendo, celebrant, legendi in

Antistitis Monialium facultatem concedere designandi religiosas, quotquot videantur necessariae quae tempore quo nemo est in ecclesia et haec omnino clausa manet, in eam descendere possint, ut ea omnia agant quae ad cultum ecclesiae eiusque munditiem pertinent. A. A. S. XVI, 95.

[1]) Vide decretum S. Congr. Rituum, diei 9. Sept. 1920. A. A. S. XII, 449.

[2]) Haec clausula observanda est. In Indulto, dei 9. Mart. 1916 Episcopo Wratislaviensi concesso, clausula non invenitur; sed interim ius de facultate binandi impertienda can. 806 § 1

una Missa tantum ex *Passione* postremam partem *(Altera autem die* etc.) praemissis *Munda cor meum,* etc. — *Sequentia sancti Evangelii secundum (Matthaeum).*

5. Benedicendi obiecta pietatis signo crucis, servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis. Occasione tamen visitationis pastoralis quando multi petunt, et plura ac varia exhibent eiusmodi obiecta benedicenda, saepe etiam cum diversis formulis, hisce in casibus, permittitur unica formula brevior, dum fit signum crucis super obiecta, nempe: „Benedicat haec omnia Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen."

6. Celebrandi Missam *de requie* lectam semel in Hebdomada ab Ordinario in proprio Oratorio; dummodo non occurrat Festum de praecepto etiam suppresso; necnon Octava privilegiata, Feria Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, Vigilia aut Feria in qua anticipanda vel primo reponenda est Missa Dominicae; servatis de cetero Rubricis.

Ex S. Poenitentiaria:

I. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis haeresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis ob haereses tam nemine audiente quam coram aliis externatas incursis; postquam tamen poenitens magistros ex professo haereticalis doctrinae, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, prout de iure, denunciaverit; et quatenus ob iustas causas huiusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denunciationem ipsam peragendi cum primum

immutatum est. Vide Indultum Wratrislaviense per decennium duraturum, in: Archiv für kath. Kirchenrecht 96, 438.

et quo meliori modo fieri poterit, et postquam in singulis casibus haereses coram absolvente secrete abiuraverit; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit, atque illata scandala reparandi.

II. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui libros apostatarum haereticorum aut schismaticorum, apostasiam, haeresim aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos defenderint aut scienter sine debita licentia legerint vel retinuerint; iniuncta congrua poenitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem, destruendi vel Ordinario aut confessario tradendi.

III. Absolvendi a censuris eos qui impediverint directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc reccurentes ad quamlibet laicalem potestatem.

IV. Absolvendi a censuris et a poenis ecclesiasticis circa duellum statutis, in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis; iniuncta gravi poenitentia salutari, et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

V. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abiurent; denuncient, iuxta can. 2336 § 2, personas ecclesiasticas et religiosas, si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eamdem respicientia, si qua retineant, in manus ab-

solventis tradant, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, destruenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis et obligatione illata scandala reparandi.

VI. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui clausuram Regularium utriusque sexus sine legitima licentia ingressi fuerint, necnon qui eos introduxerint vel admiserint; dummodo tamen id factum non fuerit ad finem utcumque graviter criminosum, etiam effectu non secuto, nec ad externum forum deductum; congrua pro modo culpae poenitentia salutari iniuncta.

VII. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim post completum XVIII. aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si coniugi supervixerit.

VIII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necesaria consensus secreta renovatione, ac iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis; iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Adnotandum. — Ordinarius recensitis facultatibus, tum absolvendi a censuris, tum dispensandi, pro foro

conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem et etiam extra dioecesim, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra dioecesim fuerint, pro grege sibi commisso, ex speciali Sedis Apostolicae auctoritate delegata, uti valebit; easque intra fines dioecesis tantum Canonico Poenitentiario necnon Vicariis Foraneis [1]), pro foro pariter conscientiae at in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter si ipsi placuerit, aliis vero confessariis cum ad ipsum Ordinarium in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri poterit, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio suo statuendum [2]), illas communicare iudicabit.

Normae de Taxis.

1°. Nulla taxa exquiratur pro licentia legendi ac retinendi libros prohibitos.

2°. Pariter nulla exigatur taxa pro facultatibus S. Poenitentiariae, quae omnino gratis sunt concedendae.

3°. Quod spectat ad dispensationes et sanationes matrimoniales concedendas, curet Ordinarius, ut nupturientes, qui pares solvendo inveniantur, aequam et congruam oblationem, iuxta praxim apud Curias legitime inolitam persolvant [3]).

4°. Taxa exquiri solita pro caeteris indultis — vigore facultatum quae in hoc indice recensentur — sint quindecim libellae.

---

[1]) Confer can. 899 § 2 de absolutione a casibus Ordinariis reservatis.

[2]) Sed non ultra quinquennium, cum facultas delegantis post quinquennium exspiret, nisi prorogetur. Vide can. 207 § 1.

[3]) Confer can. 1056 CJC.

5°. Pro casuum tamen diversitate, huiusmodi taxae moderandae aut dispensandae erunt, ob paupertatem oratorum, aliasve iustas causas, pro prudenti iudicio ac conscientia Ordinarii.

6°. Summa omnium taxarum et oblationum, quas Ordinarius reapse exegerit, in fine cuiuslibet anni ad S. Sedem, per tramitem S. Congregationis Consistorialis, transmittatur, distincte adnotando partes quae spectant ad singulas SS. Congregationes.

7°. Ipse Ordinarius pro quolibet indulto, etiam matrimoniali ad sensum can. 1056, taxam libellarum quinque adiicere poterit, sibique retinere in sui vel dioecesis necessitatibus erogandam; salvo praescripto N.ri 5.

3. Index facultatum quinquennalium, quae Ordinariis in terris Missionum a S. Congregatione de Propaganda Fide tribuuntur, anno 1920.

Scriptores: A. Vermeersch, De formulis Facultatum S. C. de Propaganda Fide commentaria. Brugis 1922. Idem, Formulae facultatum de Propaganda Fide, in: Jus Pontificium III, 193 ss. A. Iglesias, Brevis commentarius in Facultates, quas Sacra Congregatio de Propaganda Fide dare solet missionariis. Augustae Taurinorum 1924.

FORMULA III (maior) [1]).

A.

Circa Sacramenta et Sacros Ritus:

1. Concedendi suis missionariis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula qua

[1]) S. C. de Propaganda Fide utitur quinque formulis, quae amplitudine facultatum inter se differunt. Plures et ampliores facultates in formula III (maiore) continentur. Circa ceteras formulas I, II (maiorem et minorem), III (minorem) vide notas.

missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit [1]).

2. Conficiendi olea sacra cum sacerdotibus, quos potuerit habere; et si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini [2]).

3. Concedendi facultatem administrandi confirmationis sacramentum uni vel alteri ex suis sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque episcopo, servato decreto S. H. Congregationis diei 4 maii anni 1774 atque instructione „De Sacramento confirmationis“ in Appendice Ritualis inserta [3]).

4. Permittendi ut Missa celebrari possit, in casu necessitatis, etiam sine ministro, sub dio et sub terra, atque etiam in mari dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti, etiam si altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum; et praesentibus haereticis, schis-

Primam formulam consequntur Suecia, Norvegia, Dania, Smyrna, Constantinopolis, Hierusalem, Aleppa, Ispahan, Babylonia (Bagdad), Arabiae Vicariatus Apost., Agyptus, Lybia (Tripoli), Maroquium, alteram Tasmania Wellingtonium (Nov. Zelandia), Dioeceses coloniarum Galliae in Africa, Dioeceses Americae centralis, Martinica, Coloniae anglicae Africae, tertiam Sinae, Indosinae, Japonia, Insulae Oceaniae, Sandwich, Carolinae, Mariannae Carolinae, Guam, Tahiti, Africa excepta Lybia, Aegypto et dioecesibus gallicis, Indiae, Malaca, Americae Vicariatus et Praefecturae. Ceterae terrae Missionis uti e. g. Vicariatus Germaniae Septemtrionalis, Praefectura Slesvigis-Holsatia has facultates quinquennales non consequntur. Ordinarii Missionum charactere episcopali insigniti impetrant formulas maiores, ceteri formulas minores.

[1]) Deest in form. I.

[2]) Invenitur tantum in formulis màioribus.

[3]) Deest in form. I.

maticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit; atque ut missa celebrari queat una hora post mediam noctem[1]).

5. Permittendi ut missa celebrari possit cum uno luminari, adhibendo in casu quodcumque lumen, dummodo cera ex apum industria confecta deficiat; necnon permittendi ut missa absque luminaribus celebrari possit, in locis ubi non inveniuntur olivae et nulla alia substantia ad lampades nutriendas inveniri potest; in casu tamen verae necessitatis, et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii[2]).

6. Permittendi ut in utraque purificatione calicis aqua tantum adhiberi possit, dummodo tamen extrema adsit vini deficientia.

7. Permittendi thurificationem in missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici, superpelliceo induti, missae inserviant.

8. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii tres missae statim post mediam noctem nativitatis Domini celebrari possint, cum potestate administrandi fidelibus s. communionem, cauto tamen ut omnia cum debita reverentia fiant.

9. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii functiones maioris hebdomadae celebrari valeant iuxta peculiarem ritum a s. m. Benedicto Pp. XIII propo-

[1]) Invenitur tantum in utraque form. III. Ceterae habent breviorem tenorem: Permittendi suis missionariis ut misam celebrare possint in mari, dummodo mare sit tranquillum; in loco tamen decenti; atque ut in casu necessitatis missa celebrari queat una hora post mediam noctem. Formulae secundae omittunt verba „suis missionariis.“

[2]) Est peculiaris facultas utriusque formulae III.

situm pro ecclesiis minoribus paroecialibus, in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones sollemniter peragendas haberi nequeat: dummodo tamen constet ibidem esse satis consultum reverentiae sacris mysteriis debitae, et quod nulla exinde abusui pateat occasio; et quatenus neque praedictus ritus servari possit. permittendi ut in iisdem ecclesiis unica missa lecta, loco sollemnis, celebrari possit feria V in Coena Domini et sabbato sancto.

10. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii ter in hebdomada, extra Quadragesimam, missa privata de requie celebrari possit, etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris, exceptis Dominicis, necnon feriis, vigiliis atque octavis privilegiatis, diebus tamen quibus eadem missa a rubricis permittitur, computatis[1]).

11. Permittendi etiam in omnibus diebus festis et dominicis Missam votivam de B. M. V. iis qui, ob defectum oculorum aliamve infirmitatem, legere nequeant missas singulis diebus occurrentes iuxta Missalis Romani rubricas.

12. Permittendi ut, iusta de causa, SS.mum Sacramentum cum duobus luminaribus ex quacumque substantia confectis exponi possit[2]).

13. Permittendi ut, in locis ubi olivae non inveniuntur, et nulla alia substantia ad lampades nutriendas haberi potest, SS.mum Sacramentum etiam sine lumine asservari possit, in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii.

---

[1]) Facultates 7 usque 10 inveniuntur in omnibus quinque formulis.

[2]) Facultates 11 usque 12 desunt in form. I.

14. Permittendi, si ab haereticis vel ab infidelibus sit periculum sacrilegii, ut SS.mum Sacramentum pro infirmis sine lumine in loco tamen decenti retineri possit [1]).

*15. Permittendi religiosis sororibus sacrarii servitio addictis, ut sacra vasa sacrasque supellectiles tangere, necnon pallas, corporalia et purificatoria abluere valeant [2]).

16. Permittendi suis missionariis ut administrare valeant christianis graviter aegrotandibus SS.mam Eucharistiam sine lumine et sine superpelliceo et stola, dummodo constet de periculo, cui exponerentur, si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur [3]).

*17. Concedendi infirmis decumbentibus, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis a quo decumbunt, ut S. Communionem sumere possint bis vel ter in hebdomada; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam quotidie, non servato ieiunio: hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint [4]).

18. Conferendi, rationabili de causa, Ordines minores omnes simul, etiam cum prima tonsura [5]).

19. Conferendi, iusta de causa, omnes sacros Ordines, etiam Presbyteratum, diebus ferialibus etsi continuis [6]).

[1]) Facultates 13 et 14 inveniuntur tantum in utraque form. III.

[2]) In omnibus quinque formulis.

[3]) Invenitur tantum in utraque form. III.

[4]) In omnibus quinque formulis.

[5]) Deest in form. I.

[6]) Invenitur tantum in form. III maiore. In formula III

20. Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri diaconis super defectu aetatis decem et octo mensium, ut, eo non obstante, ad s. Presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite, secundum Codicis praescriptiones can. 976 absolverint[1]).

*21. Dispensandi, canonicis existentibus causis, super impedimentis matrimonialibus sive minoris sive maioris gradus (can. 1042), tam publicis quam occultis etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici: exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio.

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie; et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis; videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda; monita parte catholica de obligatione qua tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero

minore legitur: Permittendi, iusta de causa, ut suis subditis omnes sacri Ordines, etiam presbyteratus, diebus ferialibus etsi continuis conferri possint.

[1]) Deest in formula I. In utraque formula II conceditur facultas dispensandi super defectu aetatis unius anni tantum.

de matrimonio cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caerimonia civilis, nullaque Mahometis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat[1]).

*22. Sanandi in radice, iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 21, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051[2]).

*23. Sanandi pariter in radice matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico[3]).

*24. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

[1]) In omnibus quatuor posterioribus formulis. Formula prima habet sub no. 8 breviorem tenorem: Dispensandi, canonicis existentibus causis, super impedimentis matrimonialibus minoris gradus (can. 1042) tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus. — Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie.

[2]) In omnibus quatuor posterioribus formulis. Formula I habet tenorem sequentem sub no. 9: Sanandi in radice iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 8, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.

[3]) Deest in form. I.

*25. Dispensandi super interpellatione coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus casibus ordinariis, dummodo scilicet, adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse.

*26. Itemque dispensandi super interpellatione coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti gravis damni aut coniugi iam ad fidem converso aut christianis inferendi periculo.

*27. Permittendi ut, accedente gravi causa, interpellatio coniugis infidelis ante baptismum partis quae ad fidem convertitur fieri possit; necnon, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione ante baptismum partis quae convertitur dispensandi, dummodo, hoc in casu, ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem [1]).

B.

Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias etc. etc.

*28. Absolvendi ab omnibus censuris, sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

*29. Dispensandi vel commutandi vota privata Sedi Apostolicae reservata, de quibus in can. 1309.

---

[1]) Facultates a no. 24 ad 27 inveniuntur in utraque formula III tantum.

*30. Benedicendi solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, coronas precatorias, cruces, parvas statuas et sacra numismata; et adnectendi coronis indulgentias quae a S. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris nuncupantur [1]).

31. Conferendi uni alterive ex suis sacerdotibus facultatem consecrandi iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam, calices, patenas et altarium lapides, adhibitis tamen oleis ab episcopo catholico benedictis [2]).

32. Impertiendi, praeter concessionem de qua in can. 914, ter in anno in sollemnioribus festis Benedictionem Papalem iuxta praescriptam formulam cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et s. Communione refecti, eidem benedictioni interfuerint, Deumque pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint.

33. Concedendi ut, servatis consuetis conditionibus, indulgentiam plenariam in primae communionis sollemnis distributione et in s. confirmationis administratione, Christifideles ad s. communionem vel confirmationem rite accedentes lucrari possint.

[1]) Facultates 28 ad 30 inveniuntur in omnibus quinque formulis.

[2]) Deest in form. I. Duae formulae minores habent sub no. 21 resp. 31 additamentum: Erigendi pium exercitium Viae Crucis ritu ab Ecclesia praescripto cum applicatione omnium indulgentiarum quae huiusmodi exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et applicandi easdem indulgentias crucibus et crucifixis pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito decreto S. Poenitentiariae diei 14 dec. 1917. Quae facultas etiam in Supplemento pro formulis maioribus continetur.

*34. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, servatis consuetis conditionibus.

35. Impertiendi indulgentiam plenariam singulis ex clero, qui per quinque saltem dies sacris exercitiis interfuerint, ac sacrosanctum missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad s. synaxim accedentes pias ad Deum preces effuderint pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

*36. Concedendi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria omnibus Christifidelibus qui spiritualibus exercitiis seu sacris missionibus, de quibus in can. 1349, § 1 ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum cruce in fine postremae contionis impertiendae, vere poenitentes, confessi ac s. communione refecti adstiterint, atque ecclesiam in qua contiones huiusmodi habebuntur devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum precēs effuderint pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

*37. Concedendi in actu visitationis paroeciarum, quasiparoeciarum et missionum, necnon commutatum tam saecularium quam religiosorum, ut indulgentiam plenariam una vice tantum lucrari possint Christifideles, dummodo contriti, confessi ac s. communione refecti, pias ad Deum preces fuderint pro s. Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

*38. Concedendi Christifidelibus ut indulgentias propter quas confessio saltem bis in mense requiritur, lucrari possint etsi, ob legitimum impedimentum, inde a mense ad poenitentiae sacramentum non accesserint.

*39. Concedendi ut omnes praedictae indulgentiae applicari possint per modum suffragii animabus in purgatorio dententis.

*40. Benedicendi crucifixos cum indulgentia plenaria, vulgo toties quoties nuncupata: id est a quocumque ex fidelibus in mortis periculo constitutis lucranda. Grassantibus autem epidemicis aut contagiosis morbis, concedendi ut fideles in periculo mortis constituti, indulgentiam plenariam lucrari possint, Christi crucifixi imaginem vel crucem deosculando; vel, eo deficiente, sanctissimum Jesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando.

41. Concedendi ut expleto divino officio diei, legitima concurrente causa, privatim recitari possit matutinum cum laudibus diei sequentis, statim post meridiem [1]).

42. Concedendi ut, ob legitimam gravemque rationem, de qua eius conscientia oneratur, loco divini Officii rosarium vel aliae preces recitari possint [2]).

43. Permittendi suis missionariis ut vestes laicales induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere non potuerint [3]).

44. Permittendi suis missionariis ut artes medicinae et chirurgiae exercere valeant, dummodo in illis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro huiusmodi exercitio; et in curandis mulieribus ea vitent quae sanctitatem characteris quo insigniti sunt, dedecent [4]).

45. Assignandi pensiones quasiparochis vel mis-

[1]) Facultates 32 ad 41 in omnibus quinque formulis continentur.

[2]) Deest in form. I.

[3]) In omnibus quinque formulis.

[4]) In utraque formula III tantum.

sionariis ex infirmitate resignantibus quasiparoecias vel missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quomodolibet provenientium ex quasiparoeciis vel missionibus, deductis expensis [1]).

*46. Dispensandi cum catholicis pauperibus qui opera sua valde indigent, ut serviliter laborare valeant diebus Dominicis, exceptis Paschate et Pentecoste, post tamen s. missae auditionem, si possit audiri; si vero non possit, recitatis precibus suppletivis [2]).

C.

Pro ipso Ordinario.

47. Asservandi in sacello domus stabilis suae residentiae sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ea lege, ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur [3]).

48. Lucrandi indulgentias quas aliis, vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit, impletis tamen conditionibus.

49. Utendi ipse personaliter, in iisdem tamen adiunctis facultatibus seu permissionibus quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit [4]).

---

[1]) In omnibus quinque formulis.

[2]) In utraque formula III tantum.

[3]) In formula I et duabus aliis maioribus.

[4]) Facultates 48 et 49 in omnibus quinque formulis continentur. In formulis minoribus sub no. 35 resp. 47 conceditur facultas: Fruendi indulto personali altaris privilegiati quotidiani, dummodo intuitu huius privilegii nihil omnino

50. Utendi throno cum baldachino et cappa magna in Pontificalibus; necnon permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus ut sui nominis tamquam antistitis sive in precibus ferialibus sive in Canone missae mentio fiat: quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint [1]).

ANIMADVERSIONES. I. Praedictae facultates ea lege conceduntur, ut non omnes indiscriminatim subdelegari possint, sed illae tantum quae asterisco notantur, seu quae habentur sub numeris: 15, 17, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 34, 36, 37, 38, 39, 40, 46.

II. Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat intra fines suae iurisdictionis; easque gratis et sine ulla mercede exerceat, et facta mentione apostolicae delegationis.

III. Quod si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra tempus supra praefinitum seu ultra .... hisce facultatibus Ordinarium uti contingat, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. Insuper datis ab Ordinario precibus pro renovatione seu prorogatione earundem facultatum, ipsae in suo robore perseverare censeantur, usque dum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit.

Facultates quae utrique Formulae maiori superaddantur.

praeter consuetam eleemosynam percipiat. Quae facultas episcopis ipso iure competit. can. 349 § 1 no. 1 et can. 239 § 1 n. 10.

[1]) Haec facultas invenitur in formula I et in duabus aliis maioribus tantum.

Vigore potestatis sibi a SSmo D. N. . . . Div. Prov. Papa . . . tributae, haec S. Congregatio Christiano Nomini Propagando R. P. D. Ordinario . . . sequentes facultates concedit ad . . ., a die tamen computandum, quo aliae facultates (Formula . . . maior) datae sunt, et ad normas in eodem folio facultatum expressas sub capite Animadversiones, nempe:

1. Erigendi illas etiam Confraternitates a S. Sede adprobatas quarum instituendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est (can. 686, § 2), una excepta Confraternitate SSmi Rosarii, iisque adscribendi Christifideles; ac benedicendi Coronas et Scapularia earundem Confraternitatum propria, cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt.

2. Subdelegandi suis Missionariis facultatem adscribendi Confraternitatibus, de quibus supra n. 1, Christifideles; ac benedicendi Coronas et Scapularia earumdem Confraternitatum propria, cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt.

3. Subdelegandi pariter suis Missionariis sequentem duplicem facultatem quae eidem Ordinario, qua Episcopo, in canone 349, § 1, n. 1 conceditur nempe:

a) benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, omnia Scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis;

b) erigendi, ritibus pariter ab Ecclesia praescriptis, stationes Viae Crucis, cum omnibus Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et applicandi easdem Indulgentias crucibus et Crucifixis pro infirmis aliis-

que legitime impeditis, prae oculis habito Decreto S. Poenitentiariae, die 14 Decembris 1917 [1]).

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die .... mensis .... anno ....

V.

De relationibus status Summo Pontifici vel Sedi Apostolicae faciendis.

1. Formula servanda in relationibus Ordinariorum de statu suarum dioecesium conficiendis, die 4. Novembris 1918. Acta Apostolicae Sedis X, 487 ss.

Fontes antiquiores: Constitutio Sixti V. „Romanus Pontifex", die 20. Dec. 1585, Constitutio Benedicti XIV „Quod sancta", die 23. Nov. 1740, Instructio Congr. Concilii de anno 1725, Decretum Congr. Consistorialis „A remotissima", die 31 Dec. 1909 in: Acta Ap. Sedis II, 13 ss. Scriptores: A. Lucidi, De visitatione sacrorum liminum seu Instructio S. C. Concilii edita iussu s. m. Benedicti XIII super modo conficiendi relationes de statu ecclesiarum. Ed. 4a ed. L. Lugari, Romae 1899. F. M. Cappello, De visitatione ss. Liminum et Dioeceseon ac de relatione S. Sedi exhibenda I—II. Romae 1912 s. J. B. Sägmüller, Die visitatio limium ss. Apostolorum bis auf Bonifaz VIII., in: Theol. Quartalschrift LXXXII, 69 ss. J. Pater, Die bischöfliche visitatio liminum ss. Apostolorum. [Veröffentlichungen der Görres-Gesellschaft, Sektion für Rechts- und Sozialwissenschaft, 19] 1914.

[1]) Formulis minoribus etiam tres facultates superadduntur. Duae priores eiusdem tenoris sunt ac duae priores pro formulis maioribus. Tertia sic effertur: Benedicendi ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, omnia scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis. Hanc pariter facultatem Ordinarius suis missionariis subdelegare potest.

Per decretum *A remotissima*, datum die 31 decembris 1909 [1]), determinata fuerunt tempus et ratio, quibus ab Ordinariis conficiendae forent relationes dioecesanae ad Apostolicam Sedem; simul autem dabatur *Formula*, quam Episcopi sequi deberent in eiusmodi relationibus exarandis. Verum, promulgato, superiore anno, novo Codice canonici iuris, quo nonnulla innovata sunt aliaque aliter ordinata, expedire visum est ac porro oportere ut memorata *Formula* aliquantum immutaretur, quo eiusdem Codicis praescriptionibus plenius responderet atque omnimode cohaereret.

Itaque, de mandato SSmi D. N. Benedicti PP. XV, nova haec *Formula*, ab ipsa Sanctitate Sua revisa et approbata, ab universis Ordinariis in posterum adhibenda erit in relationibus conficiendis, incipiendo scilicet a primo anno quinquennii tertii, hoc est ab anno 1921.

* * *

I. Relatio *latina lingua* conscribenda est, et ab ipso Ordinario subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fuerit.

II. In prima cuiusque Ordinarii relatione ad singulas quaestiones, quae infra ponuntur, accurate ac plene responderi debet.

III. In relationibus, quae primam sequentur, Ordinarii omittere poterunt ea omnia, quae partem materialem status dioecesis respiciunt et immutata manserint.

CAPUT I. — *Generalia de statu materiali personarum et locorum.* — 1. Indicet Ordinarius nomen et

[1]) Acta Apostolicae Sedis II, 13 ss.

cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est *religionem,* si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen susceperit.

Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

2. Breviter exponat quaenam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora;

si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta *Codicem,* can. 1594 § 2, teneat;

si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro *Conferentiis episcopalibus* conveniat;

si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro *Conferentiis* et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

3. Dicat praeterea:

a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;

b) quaenam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;

c) quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniantur, quot sint, et in quales sectas dividantur;

d) qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarii;

e) utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius

coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;

f) in quot *vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus* aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis: cann. 216, 217;

g) utrum et quaenam *religiones* virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;

h) utrum et quaenam *religiones* mulierum, cum numero domorum et religiosarum.

CAPUT II. — *De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archiris.* — 4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae Ecclesiae propria est, sarta tectaque sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

5. An institutum sit penes curiam *Consilium administrationis* et quibusnam constet: et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta canonis 1520.

6. An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.

7. An servata sint praescripta can. 1523 circa

modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi;

can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia;

can. 1527 de abstinendo ab actibus ordinariam administrationem excedendibus;

et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum fundationum, aliaque.

8. An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servent quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.

9. In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servataene sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530—1533, 1538—1542: et si non, quae remedia adhibita.

Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.

10. Circa decimarum et primitiarum solutionem serventurne laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.

11. Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventurne praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineantne a vexatoria et odiosa requisitione.

12. Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali;

quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant;

quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium;

quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.

13. An inventaria immobilium, mobilium et sacrae supellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali habeantur iuxta cann. 1296, 1522.

Cautum ne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis mobilia et supellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300—1302.

14. An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375—378 erectum et custoditum; et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur: catalogine confecti sint;

an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in quo scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379—380.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta, sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum;

et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

CAPUT III. *De fide et cultu divino.*

16. Utrum graves errores contra fidem serpant inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiosa aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioece-

sim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quaenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa.

Adsitne *Consilium a vigilantia*, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat.

An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918 [1]).

17. Utrum divinus cultus libere exeeeatur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quaenam ratio suppetat ad ea amovenda, et num adhibeatur.

18. An Ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaque sint, et canonicae de his leges servari possint, et serventur. Cann. 1205 seqq.

19. Utrum in cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione; nec non in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae serventur.

An in his, et quaenam, irrepserint singulares consuetudines sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerentur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq.

Adsintne in ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conventus, et nundinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

[1]) Acta Apostolicae Sedis X, 136.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat.

21. An generatim ecclesiae mundae sint, decenter ornatae et supellectili sufficienti instructae.

Adsintne egentes, squalidae, fatiscentes, et an et quid agatur ut reficiantur.

Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

22. An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.

23. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant:

et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266:

quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam SSmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem;

can. 1269 circa tabernaculi statum;

can. 1271 circa lumen coram SSmo.

CAPUT IV. *De iis quae ad Ordinarium pertinent.*

24. Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint;

qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat:

an et quale cathedraticum exigat iuxta can. 1504:

an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506:

utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius exstinctioni consulat.

25. An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.

26. An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis: et res bene gestae fuerint iuxta cann. 432, 433.

27. Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter serventur. Can. 336.

28. Qua frequentia sacramentum confirmationis administret et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat.

Serventurne in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.

29. Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis *a)* qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969; *b)* qui saltem integrum theologiae curriculum in Seminario non peregerint. Can. 972 § 1.

An numerus ordinatorum par fuerit necessitati diocesis.

An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

30. An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi:

et can. 893 seqq. circa casus reservatos.

31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV [1]) et normas a S. C. Consistoriali datas die 28. Iunii 1917 [2]) omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi.

An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.

32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta canones 1060, 1064, 1065, 1071.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343—346.

An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia, etc.

An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta canones 824—844.

Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum

---

[1]) Constistutio „Humani generis", in: Acta Ap. Sedis IX, 305 ss.

[2]) Acta Ap. Sedis IX, 328 ss.

celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356—362.

35. *Si sit Metropolitanus aut Conferentiarum episcopalium Praeses:* an et quando Concilium et quando Conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283—292.

Ceteri Episcopi: an Concilio provinciali, et Conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.

36. Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.

CAPUT V. *De Curia dioecesana.*

37. Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat.

Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinatoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum, aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.

38. De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.

39. Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex mulctis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.

CAPUT VI. *De Seminario.*

40. Si dioecesis Seminario careat, quomodo con-

sulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis.

An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu: et ubinam educentur. Can. 1353.

41. Si Seminarium adsit, referatur enucleate:

a) de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;

b) de statu aedium, et rusticationis domus;

c) de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;

d) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

42. Distinctum ne sit Seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2.

Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut duntaxat Seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educentur: num in Seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

43. An servatae sint regulae:

can. 1356 circa tributum seminaristicum;

can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas;

cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem;

can. 1359 circa deputatos;

can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos;

can. 1371 circa dimittendos aut expellendos;

cann. 1364—1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae;

can. 1367 circa pietatis exercitia;

can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.

44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis Collegia, vel Universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.

CAPUT VII. *De clero generatim.*

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit.

An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis: an etiam quo poenitentes recipiantur.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent:

can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia;

can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia;

can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum;

cann. 131 et 448 circa *conferentias* cleri;

can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus;

can. 134 circa communem clericorum vitam,

praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parocho, can. 476, § 5.

can. 135 circa recitationem officii divini;

can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem;

can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione;

can. 137 circa fideiussiones cavendas;

cann. 138—140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus:

an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et adhuc hae concessionis causae perseverent:

an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeceat sacerdotem in iis partem habere:

an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae:

an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint: et si ita sit Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 prae-

scribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem: et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciet.

Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas: et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit:

an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt:

si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas [1]):

et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant, vel ea moderentur: et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent:

qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant:

qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211—214:

et quid fiat ad horum malorum remedium.

53. An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit: et casus graviores referat.

CAPUT VIII. *De Capitulis.*

54. *Si desit Capitulum cathedrale,* dicatur quot con-

[1]) Decretum „Nemo de sacro", die 30 Aprilis 1918, in: Acta Ap. Sedis X, 237 s. Vide hanc Collectionem p. 16 ss.

sultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424—428 statuunt.

55. *Si adsit cathedrale Capitulum*, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet;

adsintne officia canonici theologi et poenitentiarii: et serventurne ab ipsis quae cann. 398—401 iubent;

habeanturne alii beneficiati minores, et quot.

56. Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum.

In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.

57. Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent, iuxta can. 1451.

58. Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.

59. Quot adsint canonici ad honorem: et serventurne de ipsis regulae can. 406.

60. Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini:

servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429—443 praescribunt.

61. Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.

62. Si adsint in diocesi Capitula, praesertim insignia, vel *Communiae* cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.

CAPUT IX. *De Vicariis foraneis et parochis.*

63. Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque;

an paroecias iuxta normas ab Ordinario datas visitent;

et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.

64. An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae: et serveturne lex a can. 460 lata de uno duntaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.

65. An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa.

An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta in cann. 415, 471 et 609 § 1.

Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaque sint quae cann. 630, 631 hac de re praescribunt.

66. An et quot adsint patronatui obnoxiae; an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta ca. 1451: sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.

67. An provisio paroeciarum quae sunt liberae

collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.

68. Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione.

An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant.

An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

69. An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt:

can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt;

can. 465 circa residentiam;

can. 466 circa applicationem missae pro populo;

can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum;

can. 468 circa infirmorum curam;

can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subrepant;

et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda;

can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos;

circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali;

can. 735 circa *sacra olea* a parochis loco decenti ac tuto custodienda.

70. Circa *baptismum:* an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774; et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo

ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorem ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultro libenterque accedat iuxta can. 775.

71. Circa *SS.mam Eucharistiam:* an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur;

ut iuxta can. 865, infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant;

ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SS.mi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SS.mam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo;

ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam Communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subrepant.

72. Circa *extremam unctionem:* an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.

73. Circa *matrimonii* celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus et adnotationem matrimonii.

74. Circa *catechesim:* an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit:

can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et Communione et pro confirmatione puerorum;

et cann. 1331—1336 de catechismo diebus festis impertiendo tum pueris tum adultis.

75. Circa *evangelii* explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344;

circa *sacras conciones:* an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.

76. An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.

CAPUT X. *De religiosis.*

77. An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabiliora adnotanda habeat.

78. Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure;

quae sit in utroque casu eorum fama;

quaenam pro dioecesi utilitas;

an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334;

quo habitu incedant.

79. Si quaestuantes adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicae praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.

80. Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de

eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.

81. Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.

82. Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui *exclaustrati*, *saecularizati* aut *dimissi* a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.

83. *De religiosis mulieribus* in specie Ordinarius referat:

a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520—527, 533—535, 547, 549, 550, 552, 600—605;

b) si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;

c) quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;

d) si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis obversantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

CAPUT XI. *De populo fideli.*

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quaenam vita christiana privata in familiis, quaenam publica in oppidis et civitatibus; an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur.

Quid fiat ut christianae vitae professio, si paulum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducatur.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et Summum Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

86. Quae sit observantia:

can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis;

cann. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium;

can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus;

can. 859 circa Communionem paschalem; quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium;

can. 863 circa frequentem Communionem;

can. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis;

cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur, funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contingat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

87. Circa *matrimonium:* an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione;

an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint;

quid fiat ut haec mala removeantur.

88. Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et

mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant:

an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.

89. *De christiana educatione prolis:* quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.

90. *De scholis:* an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum.

Et si non, *qualibet de causa;* an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta canones 1374.

91. De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa:

et dicatur, an per varia opera post-scholaria, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.

92. De religiosis et piis laicorum *associationibus:* an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim *SS.mi Sacramenti et Christianae doctrinae*[1]) aliaeque piae Uniones potissi-

[1]) Confer CJC can. 711 § 2.

mum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.

93. An hae associationes servent omnes praescripta:

can. 690 de subiectione erga Ordinarium;

can. 691 de administrationis modo.

94. An adsint inter catholicos associationes illae, quae *sociales* vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.; quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

95. An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

96. An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant:

an libri quoque huius generis diffusi sint:

quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.

97. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur: quid fiat ad occurrendum huic malo.

98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum fideles

catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.

CAPUT XII. *Iudicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.*

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quaenam de eo censeantur causae.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 4 novembris 1918.

† C. Card. *De Lai,* Ep. Sabinen., Secretarius.

L. † S.

† *V. Sardi,* Archiep. Caesarien., Adsessor.

2. Decretum S. Congregationis de Religiosis de quinquennali relatione a Religionibus facienda, die 8. Martii 1922. Acta Apostolicae Sedis XIV, 161 ss.

Fons antiquior: Decretum S. Congr. Episcoporum et Regularium „In approbandis" de triennali relatione Institutorum vota simplicia profitentium, die 16. Julii 1906 (Acta S. Sedis XXXIX, 347 ss.)

Sancitum est in Codice iuris canonici, ut quilibet supremus Moderator sive monasticae Congregationis sive cuiusvis Religionis iuris pontificii quolibet

quinquennio, aut saepius si ita ferant Constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem mittat.

Ut autem hoc canonum praescriptum ordinate et utiliter effectum detur, haec Sacra Congregatio, re mature perpensa, ea quae sequuntur decernenda statuit:

I. Quinquennia sint fixa et communia omnibus Religionibus incipiantque a die prima mensis ianuarii 1923.

Relationem itaque exhibebunt:

A) Ex Religionibus virorum:

a) in primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, Ordines militares.

b) in altero: Mendicantes.

c) in tertio: Clerici Regulares.

d) in quarto: Congregationes votorum simplicium tam clericales quam laicales.

e) in quinto: Societates virorum more religiosorum viventium, sine votis aut cum votis privatis.

B) Ex Religionibus mulierum relationem mittent Congregationes, habito respectu ad regionem in qua extat domus princeps Instituti, seu ubi sedem ex officio habet Moderatrix Generalis, sequenti ratione:

1° anno quinquennii: ex Italia, Hispania et Lusitania,

2° anno: ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia,

3° anno: ex reliquis Europae regionibus,

4° anno: ex utriusque Americae partibus,

5° anno: ex aliis orbis partibus, et insuper Societates mulierum sine votis more religiosarum viventium vel cum votis privatis.

II. Congregationes quae relationem iam forte exhibuerint intra quinque annos praecedentes eum, in quo, ad normam supra descriptam eam mittere deberent intra quinquennium 1923—1927, eximuntur ab ea rursum mittenda pro hac prima vice.

III. In exaranda relatione pro Institutis votorum simplicium prae oculis habeantur quaestiones propositae in Instructione data a S. C. EE. et RR., nunc vero ab H. S. C. reformatae ad Codicis conformitatem, eisque fideliter respondeatur.

IV. Moderatores vero Supremi Ordinum Regularium et earum Congregationum etiam votorum simplicium aut Societatum more religiosorum viventium, quae ad relationem mittendam ante Codicis promulgationem non tenebantur, quoadusque aliter a Sacra Congregatione provideatur, relationem de statu suae Religionis integram et veritati respondentem — super quod eorum conscientia oneratur — diligenter exarare curent ea ratione et forma, quae Instituti naturae aptior videatur; ita tamen, ut ex ea Apostolica Sedes de statu tam materiali quam morali et disciplinari Religionis plenam sibi notitiam comparare queat.

Prima autem relatio, ante alia de actuali statu religionis, contineat notitias historicas de Ordinis aut Congregationis fundatione; et praecipue ea quae spectant ad eiusdem approbationem per Apostolicam Sedem et ad Constitutiones quibus in praesenti regitur. Interna quoque regiminis forma et natura votorum exponatur, et si qua mutatio in hisce facta fuerit decursu temporum aut si qua in Regulae observantia relaxatio, et quadam auctoritate inducta fuerit, declaretur.

Si qua Congregatio peculiare praescriptum habeat de relatione frequentius mittenda in Constitutionibus a Sancta Sede *post Codicis promulgationem revisis aut approbatis*, hoc servandum erit, nullo habito respectu ad ea quae de quinquennio praesens decretum praescribit.

Ssmus D. N. Pius Pp. XI in audientia concessa infrascripto P. Abbati Secretario die 25 februarii 1922, praesentis decreti tenorem adprobavit, ab omnibus servari et publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 8 martii 1922.

Th. Card. Valfré di Bonzo, Praefectus.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

3. Formula servanda in relationibus Superiorum generalium Institutorum vota simplicia profitentium S. Sedi transmittendis, die 25. Martii 1922. Acta Apostolicae Sedis XIV, 278 ss.

Fons antiquior: Instructio S. Congr. Episcoporum et Regularium, die 16. Juli 1906 (Acta S. Sedis XXXIX, 348 ss.).

PRAEMITTENDA. — 1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis, et quando, Institutum a S. Sede obtinuerit.

2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.

3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.

4. Quot sint sodalium classes. Quaenam vota emittantur.

5. *Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.

6. *Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo, ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi vel apostatae*.

7. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

I. DE PERSONIS. — *A. De admissis.*

8. Quot postulantes ab ultima relatione admissi fuerint.

9. Num pro singulis habita sint testimonia a iure requisita; speciatim vero litterae testimoniales: *a*) pro viris in genere; *b*) pro clericis; *c*) pro illis (viris aut respective mulieribus) qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt; et quidem iureiurando firmatae.

10. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sint.

11. Num praeterea exquisita fuerit sufficiens notitia circa eorum indolem et mores quoties id necessarium erat vel opportunum.

12. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam Superiore ecclesiastico concessa.

13. Num postulatum omnes ii quibus praescriptus

est peregerint per tempus statutum in domo in qua regularis disciplina servetur.

B. De Novitiis.

14. Quot et quaenam sint domus novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

15. Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint..

16. Quot nunc in novitiatu degant.

17. Num novitii a professis rite separati existant.

18. Num omnes habeant integrum exemplar constitutionum.

19. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo novitiatus sub cura magistri degerint.

20. Num magister novitiorum ab omnibus officiis oneribusque vacet, quae novitiorum curam et regimen impedire possint.

21. Num, quantum et qua auctoritate, tempus novitiatus, ultra terminum in constitutionibus praefinitum, prorogatum vel imminutum fuerit.

22. Utrum novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.

23. Num durante secundo anno novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint, et num servata fuerit instructio S. C. de Religiosis diei 3 novembris 1921.

24. *(In Institutis Sororum)*: Num ante admissionem ad habitum, ad primam professionem temporariam et ad professionem perpetuam, Episcopus vel eius delegatus praescriptam voluntatem adspirantis, et gratuito, exploraverit.

25. Num professioni, quoties locus erat, praemissa fuerit vel alias opportune peracta cessio administrationis propriorum bonorum ac dispositio de eorumdem usu et usufructu.

26. Num a novitiis ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere conditum fuerit.

C. De Professis.

27. Quot nunc sint in Instituto sodales: *a*) votorum temporariorum, *b*) votorum perpetuorum.

28. Num vota temporaria semper tempore debito fuerint renovata.

29. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporariorum.

30. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

D. De egressis et dimissis.

31. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint: *a*) ex novitiis; *b*) ex professis expleto tempore votorum temporariorum; *c*) perdurantibus votis temporariis; *d*) post emissa vota perpetua.

32. Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint, pro casuum diversitate, normae in sacris canonibus et in propriis constitutionibus praescriptae.

33. Num (excepto casu urgenti de quo in cann. 653 et 668) aliquis dimissus aut egressus fuerit: *a*) ante acceptam sententiae vel decreti confirmationem ab Apostolica Sede, si agatur de viris professis a votis perpetuis; vel ante acceptam ab eadem S. Sede decisionem, si de Sororibus a votis perpetuis professis

agatur; *b*) pendente recursu ad S. Sedem, si de professis a votis temporariis; *c*) absque praevia dispensatione, ab ipso religioso expostulata, super votis emissis.

34. *(In Institutis Sororum.)* Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.

35. Num iis quae, sine dote receptae, ex propriis bonis sibimet providere non valebant, in casu egressus ex Instituto, necessaria ex caritate suppeditata fuerint, quibus modo tuto ac convenienti domum redire et per aliquod tempus honeste vivere potuerint.

II. DE REBUS. — *A. De domibus.*

36. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.

37. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

38. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

39. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

40. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

41. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.

42. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.

43. *(In Institutis Sororum.)* Num habitatio capellani sive confessarii ingressum separatum et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

B. De bonis.

44. Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae: *a*) tum Instituti in communi; *b*) tum uniuscuiusque domus.

45. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari, nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

46. Num pecuniam semper utili foenori et honesto ac tuto collocaverint.

47. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damma subierint, et qua de causa.

48. Num et quae bona, sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.

49. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.

50. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

51. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam, et qua auctoritate.

52. Num bona temporalia, tum religionis universae, tum singularum provinciarum et domorum, per oeconomos rite deputatos administrentur ad normam sacrorum canonum et constitutionum.

53. Num oeconomi, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis tem-

poribus reddiderint; et num huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.

54. Num lites de bonis habeant.

55. Num pecuniae aliaeque res pretiosae caute custodiantur iuxta normas hac de re traditas et praescriptum constitutionum.

56. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.

57. *(In Institutis Sororum.)* Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento de consensu Ordinarii loci collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.

58. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro Missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.

59. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.

60. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes constitutae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.

61. Num Episcopo iuxta sacrorum canonum praescriptum de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.

62. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.

63. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.

64. Num superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

III. DE DISCIPLINA. — *A. De vita religiosa.*

65. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.

66. Num omnes sodales quotidie Missae sacrificio assistant.

67. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

68. Num serventur canonica statuta: *a*) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam; *b*) quoad sacramentalem confessionem; *c*) circa eucharisticae communionis frequentationem.

69. Num adsint confessarii ad iuris normam designati; num et qui abusus irrepserint, sive ex parte Superiorum libertatem a lege concessam coarctantium, sive ex parte subditorum permissa libertate abutentium.

70. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

71. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

72. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

73. Num Religiosis e domo egredientibus, extra casum necessitatis, a Superioribus socius addatur.

74. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catecheticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

75. Num et quaenam scripta periodica sodales edant aut illis conscribendis operam conferant: num in iis, sicut etiam in libris edendis, statutae leges servatae fuerint.

76. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

B. De observantia quarumdam specialium legum.

77. Num omnia circa Capitulum generale praescripta diligenter observata fuerint: *a*) quoad litteras convocatorias; *b*) quoad electionem delegatorum; *c*) quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d*) quoad electionem Moderatoris generalis; *e*) quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.

78. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

79. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

80. Num Moderator generalis et Superiores provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

81. Num Moderator generalis et Superiores sive provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive provinciae sive domus.

82. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

83. Num in Consilio generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

84. Utrum ubique vigeat vita communis; num

omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet paterna caritate suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

85. Num alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis onerentur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

86. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

87. *(In Institutis Clericorum.)* Quot annis clerici vacent studiis: *a*) litterarum humaniorum; *b*) philosophiae, et *c*) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

88. Num alumnis aut etiam magistris alia officia committantur quae a studiis eos avocent.

89. Num omnes studentes: *a*) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint; *b*) ante promotionem ad sacros Ordines studia per leges canonicas respective praescripta rite perfecerint; *c*) cetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum ordinationis, litteras dimissorias, etc.) religiose observaverint.

90. Num servata fuerit lex de examine a sacerdotibus quotannis, saltem per quinquennium, peragendo.

91. Num aliquando exerceatur negotiatio per sacros canones interdicta; item an ars aliqua vel industria quae frequentiorem afferat consuetudinem cum extraneis; quibus cautelis, tum pro salute illorum

sodalium qui his incumbunt, tum pro externorum aedificatione.

92. An Superiores curent inter suos subditos promovere notitiam et exsecutionem decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt: item an publice legantur, praeter proprias constitutiones, decreta quae Apostolica Sedes legenda praescripserit.

C. De operibus Instituti.

93. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

94. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

95. *(Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt)*: *a*) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi; *b*) an sacrorum canonum praescripta et S. Sedis decreta hac de re edita in omnibus religiose observentur.

96. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

97. Num et quomodo Sorores in Seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

98. Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videantur.

99. Num Sorores, quae infirmis in privatorum

domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

100. Num superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

101. *(Pro Institutis virorum).* Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

102. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum, aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

103. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui.

104. Num querelae vel difficultates exsistant: *a*) cum Ordinariis locorum; *b*) cum confessariis; *c*) cum capellanis.

105. (*Pro Institutis laicalibus utriusque sexus*). An domos habeant in quibus suscipiantur ad commorandum adolescentes respectivi sexus qui publicas scholas laicas frequentant, quibus in locis, quasve scholas adeant, quomodo et per quos eorum religiosae institutioni consultum sit.

* * *

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a Moderatore seu Moderatrice generali, sed etiam a singulis Consiliariis seu Assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt. Si agatur de Congregatione mulierum, signanda pariter erunt ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.

Quod si quis ex iisdem Consiliariis seu Assistentibus aliquid magni momenti praetera S. Sedi signi-

ficandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere praesumpserit.

Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 25 martii 1922.

Th. Card. Valfré di Bonzo, Praefectus.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

4. Litterae circulares Emi Praefecti S. Congr. de Propaganda Fide de relationibus missionum singulis quinquenniis exhibendis, die 16. Aprilis 1922. Acta Apostolicae Sedis XIV, 287 ss.

Fontes antiquiores: Instructio S. Congr. de Propaganda Fide, die 1. Junii 1877 (Collectanea C. S. de Propaganda Fide II [1907], 106 ss.), Litterae circulares Emi Praefecti S. Congr. de Propaganda Fide, die 1 Junii 1877 (l. c. II, 109 ss.).

Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando per epistolam datam die 1 iunii a. 1877 [1]) Vicarios et Praefectos Apostolicos monebat, ut temporibus pro visitatione SS. Liminum a Sixto V, constitutione *Romanus Pontifex* diei 20 dec. a. 1585, pro Episcopis statutis, vel frequentius, prout mos iam alicubi invaluerat, accuratas relationes de toto eorum pastorali munere deque omnibus ad Missionum suarum statum pertinentibus, trasmitterent. Eum in finem epistolae adnectebatur *series quaestionum,* quibus in praedicta

[1]) Collectanea S. C. de Propaganda Fide II, 109 ss.

relatione exaranda respondere satagerent Superiores Missionum.

Verum, promulgato Codice juris canonici, quo nonnulla innovata sunt aliaque aliter ordinata, expedire visum est ut memoratae quaestiones aliquantulum immutarentur, quo eiusdem Codicis praescriptionibus plenius responderent, atque omnimode cohaererent.

Itaque, *de mandato Ss.mi D. N. Pii PP. XI,* nova haec quaestionum series ad normam cc. 300 et 340 § 1 Codicis I. C. ab universis Episcopis, Vicariis Praefectisque Apostolicis ac Missionum Superioribus subiectis huic S. C. de Propaganda Fide in posterum prae oculis habenda erit in relationibus conficiendis.

Ad SS. Liminum visitationem autem quod attinet serventur cc. 299 et 341.

ANIMADVERTENDA. — I. Relatio latina lingua, nitidis characteribus, in charta non translucida conscribenda erit et ab ipso Ordinario et ab uno saltem ex canonicis vel consultoribus (*in dioecesibus*) aut ex consiliariis Missionis subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fuerit.

II. In prima relatione, post acceptam praesentem epistolam danda, ad singulas quaestiones quae infra ponuntur, accurate ac plene responderi debet.

III. Idem faciendum erit ab omni novo Missionis Superiore, prima vice qua relationem quinquennalem exhibere debebit.

IV. In relationibus quae primam sequentur, Ordinarii omittere poterunt ea omnia, quae partem historicam ceterasque generales notitias Missionis respiciunt, si immutata permanserint.

CAPUT I. *Generales notitiae Missionis.*

1. *a*) Breve *compendium historicum* circa originem, progressus ac mutationes dioecesis, vicariatus sive praefecturae aut Missionis conficiendum erit. Brevissima quoque adumbratio fiat de historia religiosa Missionis, de persecutionibus praesertim, ac de illustrioribus martyribus.

b) Describenda *superficies, confinia* quibus continetur territorium Missionis. Insuper charta geographica Missionis, si fieri potest, addatur.

c) Brevis notitia detur *de natura loci caelique temperie*, ac de fertilitate terrae, de ratione et mediis itinerum. Quinam morbi in ea forte praevaleant, et quibus cautelis vitari possint.

2. *a*) De *divisionibus civilibus territorii*, de principalioribus civitatibus, de reipublicae seu Gubernii civilis forma.

b) De *incolarum propriis moribus*, indole, origine; de praecipuis commerciis, et industriis regionis ac de varietate stirpium, linguarum ac religionum.

c) Quinam *incolarum numerus: quot* inter incolas sint *catholici;* si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis; et inter non catholicos quot ethnici, mahumetani, hebraei, haeretici, etc.

CAPUT II. *De constitutione Missionis eiusque divisione ecclesiastica.*

3. Quinam *locus residentiae Ordinarii* cum omnibus indicationibus ab epistolas inscribendas necessariis.

4. In quot *christianitates* vel *sectiones* seu *districtus* aliasque circumscriptiones Missio divisa sit, et an ibi sacerdotum residentiae sint stabiles, et an facilis sit ad eas accessus.

5. *a*) An et quot adsint in dioecesibus *paroeciae* vel in aliis Missionibus *quasi-paroeciae* cum propria ecclesia, territorio determinato et peculiari rectore. — An erectio paroeciarum et quasi-paroeciarum facta fuerit per decretum asservatum in archivo Missionis. An observentur instructiones huius S. C. diei 25 iulii a. 1920 et diei 9 dec. a. 1920 [1]) circa erectionem paroeciarum vel quasi-paroeciarum.

b) An parochi, vel quasi-parochi (c. 451 § 2) applicent Missam pro populo (c. 466), tributum solvant pro Seminario (c. 1356 § 1), suas obligationes servent (cc. 451—470), et libero exercitio in cura animarum gaudeant, iuxta c. 415.

6. An habeantur *vicarii foranei* (cc. 217, 435 seq.) et Missionis districtus ita ordinati sint, ut plures uni sacerdoti tamquam Superiori subsint.

7. *a*) An spes affulgeat Missionem in plures dioeceses vel vicariatus seu praefecturas in posterum dividendi, et quomodo hanc divisionem Ordinarius praeparet, instituendo in unaquaque parte illa opera, quibus opus est ut Missio independens haberi possit.

b) An et quaenam *pars* Missionis adsit quae *nunquam fuerit evangelizata;* an et quomodo provideri possit eius evangelizationi.

8. Utrum in singulis districtibus, paroeciis vel quasi-paroeciis diligenter serventur *libri* baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum, nec non status animarum, ad normam c. 470.

9. An quae in cc. 375 et seqq. de *archivo dioecesano* habentur, habita ratione locorum et personarum, in Missione constituta sint ad normam c. 304 § 1.

[1]) Acta Apostolicae Sedis XII, 331 ss., XIII, 17 s.

10. Exponatur insuper an habeatur *directorium* seu collectio regularum et consuetudinum Missionis circa ea, quae a sacerdotibus tum in sua vitae ratione tum in fidelium regimine sint servanda: illudque S. C. exhibeatur.

11. Dicatur utrum adsit *catechismus*, an sit communis cum aliis Missionibus eiusdem regionis, et an in variis libris huius generis servetur uniformitas circa doctrinae expositionem; ac eius exemplar ad hanc S. C. mittatur.

CAPUT III. *De Ordinario eiusque praecipuis cooperatoribus in regimine Missionis.*

12. *a*) Indicet *Ordinarius* nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum et Institutum religiosum si ad quod pertineat, et quaenam indulta et facultates a S. Sede receperit.

b) In dioecesibus dicat Ordinarius, an sedes metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta c. 1594 § 2 Metropolita, probante Sede Apostolica, sibi elegerit; si vero suffraganea, quem Metropolitam habeat, si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro concilio provinciali et pro iudicio appellationis sibi constituerit iuxta cc. 285, 292 et 1594 § 3.

c) An Episcopum *auxiliarium* vel *coadiutorem* cum futura successione habeat; et indicet eius nomen, aetatem, locum originis, Institutum religiosum si alicui pertineat.

d) Dicat an secundum praescriptum c. 309 constituerit suum *Pro-Vicarium* vel *Pro-Praefectum*, et indicet eius nomen, aetatem, nationem, Institutum reli-

giosum si alicui forte pertineat; atque de eius qualitatibus et opere adumbratio aliqua fiat.

e) In dioecesibus vero, exponatur quaenam vigeat ratio providendi, Sede episcopali vacante, dioecesis regimini (cc. 429—443).

f) Utrum constituerit unum *Vicarium generalem* (in dioecesibus) vel *Vicarium delegatum* (in aliis Missionibus), et si plures ob quam rationem (c. 366 § 3); ac similiter referat de eorum aetate, natione, an ad aliquod Institutum religiosum pertineant, de eorum qualitate et opera brevis notitia detur.

13. *a*) In dioecesibus utrum adsint capitulum cathedrale et alia capitula insignia an *communiae* cleri ad modum capitulorum; et quae eorum praecipua statuta; utrum Episcopus nominet consultores dioecesanos (c. 423), et quis eorum numerus.

b) In aliis Missionibus vero utrum adsit *Consilium Missionis* ad normam c. 302, quot in eo exteri et quot indigenae sacerdotes habeantur; quae eiusdem Consilii attributiones.

14. *a*) An Ordinarius in regione sibi commissa commoretur et observantiam legum ecclesiasticarum urgeat (c. 386); an et quando *Missionem visitaverit* iuxta c. 301; an praeter loca, res, libros et archiva, personaliter quoque clericos examinaverit, eos singillatim audiendo ut cognosceret quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae sit confessionis sacramentalis frequentia et alia huiusmodi; an in visitatione inspexerit quoque quae referuntur ad pia legata adimplenda et an circa Missarum manualium satisfactionem ac stipem omnia constituerit ad normam cc. 824—844.

b) An visitationem SS. Liminum suo tempore personaliter vel per procuratorem perfecerit.

15. An praecipuos presbyteros indigenas et exteros *congreget* semel saltem in anno ut possit ex singulorum experientia et consilio deducere, quae sint perfectius in Missione ordinanda (c. 303).

16. *a*) Utrum et quomodo *synodum* celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit (c. 304 § 2).

b) An aliquando consilium ineat cum Ordinariis vicinioribus vel eiusdem regionis in maioribus negotiis pertractandis.

c) Quando Missionum *concilium nationale vel regionale* celebratum fuerit, et an opportunum sit illud iterum convocari (c. 304, 2).

17. *a*) Quae mutua relatio intercedat inter Ordinarium et Superiores Religiosos (cc. 296 § 2—298) et an cum Superiore locali religioso eiusdem Instituti cui pertinet, Ordinarius concorditer vivat.

b) Utrum missionarii Episcopo, Vicario vel Praefecto Apostolico aut Missionis Superiori etiam ut religiosi subsint; vel alteri Religioso Superiori sint subiecti, et saltem an sint Ordinario subiecti ad normam cc. 295, 296, 297, 630, 631.

c) An ipse Ordinarius, prout de iure, officia et residentias missionariis assignet (c. 296 § 1 coll. can. 454 § 5).

d) An in removendo aliquo missionario etiam religioso, praescriptiones c. 307 observentur.

18. Quomodo se habeat Ordinarius *cum civili loci auctoritate*; an eius dignitas et iurisdictio sarta tectaque ita semper servari potuerit, ut nunquam detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae obvenerit.

CAPUT IV. *De Adiutoribus sacri ministerii.*

§ 1. *De sacerdotibus in genere.*

19. *a*) Numerus, nomina et praecipuae notae singulorum sacerdotum exterorum et indigenarum dentur. De iis qui zelo, pietate, scientia et disciplina eminent, specialiter, indicato quoque nomine, dicatur.

b) Quam *idoneitatem* ad sacra ministeria atque ecclesiastica officia et quam vivendi rationem clerici praeseferant. An obligationes clericorum, de quibus in cc. 124—144, ipsi adimpleant.

20. *a*) Utrum ipsis occasio detur saltem semel in mense ad Sacramentum confessionis accedendi aliosque presbyteros invisendi et mutuo adiumento fruendi.

b) An omnes sacerdotes iuxta praescripta cc. 126 et 595 § 1 n. 1 exercitia spiritualia peragant.

c) Utrum ecclesiastici viri, sive saeculares sive regulares, *clericali habitu* aut *religioso* utantur, an saltem ea veste quae eorum statum minime dedeceat (c. 136); et in modo sese gerendi an admittant quae decus sacerdotale laedant (c. 138).

d) Si in Missione ecclesiastici viri habeantur qui aliqua dignitate a S. Sede decorati sint, tituli quibus singuli exornati sint atque concessionis dies, officium et gradus quibus gaudeant in clero Missionis, aliaeque notitiae opportunae significentur.

21. *a*) Utrum omnes sacerdotes *studio doctrinae moralis* incumbant, et utrum ad hoc studium fovendum habeantur conventus pro casuum moralium examine conficiendo (cc. 131, 448).

b) An *in usu facultatum* quas accipiunt nimis latas interpretationes ac improbandam facilitatem sequantur.

22. An *praedicationi verbi Dei* (cc. 1337 seq., 1347) etiam inter paganos assidue incumbant; an sint aliqui ex missionariis huic operi exclusive addicti; vel hoc ministerium catechistis remittant, de suis fidelibus tantum solliciti. Quae media adhibeantur ut verbum Dei etiam in magnis urbibus, optimatibus et doctis paganis annuntietur iuxta instructiones huius S. C. diei 18 octob. a. 1883 et diei 19 martii a. 1893 (cfr. *Collectanea S. C. de Prop. Fide,* vol. II, p. 187 n. 1606, et pag. 286 n. 1828).

23. Num *negligentia vel otiositas* aliquem ecclesiasticum in suo munere obeundo detineat; num *inobedientiae* vel *avaritiae* vel *incontinentiae* speciem quis in sua vita praeseferat.

24. An sacerdotes miti ratione *erga christianos* se gerant, an circa modum sacri ministerii exercendi uniformitatem curent.

25. *a*) An charitas et concordia inter ecclesiasticos regulares et saeculares, exteros et indigenas foveatur.

b) an et quot sacerdotes sive exteri sive indigenae titulum Missionarii Apostolici ab hac S. C. Prop. Fidei receperint.

26. An a rerum politicarum studio et a negotiis saecularibus se abstineant (cfr. c. 139 §§ 3, 4; Instructiones huius S. C. Propag. Fidei a. 1659, ut in *Collectanea*, vol. I, pag. 42 n. 135; et diei 6 ianuarii, a. 1920).

27. An et qualia vulgentur in Missione *diaria catholica,* an recte dirigantur, an sacerdotes operam suam ipsis praebeant, et in casu affirmativo, an ad normam can. 1386.

§ 2. *De Missionariis exteris.*

28. Exponatur imprimis an *sacerdotes exteri*, quibus sacrum ministerium exercendum in Missione concreditum est, sint saeculares vel regulares, et cuius Instituti; utrum et quot fratres laicos addictos habeant. An sufficiens eorum *numerus* sit pro necessitate Missionis.

29. An singuli missionarii exteri *studio linguae vernaculae* istius gentis sedulam dent operam et an eam ad praedicandum verbum Dei inter indigenas et in audiendis confessionibus indigenarum semper ac recte adhibeant (cfr. Instructionem citatam diei 18 octob. a. 1883).

30. *a*) An missionarii *bona immobilia possideant; an industriam vel commercium* exerceant (c. 142).

b) An Religiosi missionarii fidelibus et infidelibus exemplo sint regulari observantia praesertim trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiae.

31. An in aedificandis et ornandis sacris aedibus et residentiis missionariorum peregrinae tantum artis forma adhibeatur, vel, quantum possibile est, nativae etiam ipsius gentis artis species, pro opportunitate servetur.

32. De qualitate et opere *praecipuorum missionariorum* qui inter alios excellunt referatur; atque de singulis edicatur: locus originis, aetas, et quot iam ab annis in missione versentur.

§ 3. *De Clero indigena.*

33. *a*) Singulariter sermo instituendus de *clero indigena*, ac imprimis de *idoneitate* sacerdotum, deque animi qualitatibus quibus praediti appareant.

b) Utrum aliqua distinctio habeatur inter clerum

indigenam et sacerdotes exteros, quibus in rebus et quam ob rationem. *Quibus in officiis* indigenae sacerdotes adhibeantur, an ab aliquibus officiis ipsi arceantur.

c) Utrum et quot indigenae inter sacerdotes religiosos vel inter fratres laicos inveniantur.

34. Utrum sacerdotes indigenae *in familia* cum parentibus cohabitent, vel communem vitam cum missionariis agant (Cfr. Instruct. cit. 18 octob. a. 1883).

35. An clerus indigena habeat *quo honeste vivere possit.* An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint, quibus adiuvari possint.

§ 4. *De Institutis religiosis et de aliis personis quae in Missione adlaborant.*

36. *a*) An et quae instituta religiosa utriusque sexus adsint, *quot domus,* et quot in eis indigenae et exteri. An Ordinarius sive per se sive per alium *quinquennalem visitationem* domorum religiosarum utriusque sexus peregerit, iuxta cc. 296 § 1, 512, 513, et quae de iis magis notatu digna videantur.

b) Utrum Religiosi utriusque sexus vitam communem ducant.

c) An Instituta religiosa bona possideant, nomine proprio, in *Missione.*

37. Quaenam eorum pro *Missione utilitas;* quae opera dirigant et quo successu; an indigenarum et pauperum curae atque institutioni praecipue attendant; idque exprimatur sive quoad Instituta virorum sive quoad Instituta mulierum.

38. Si *pro indigenis* habeantur Instituta religiosa dioecesani iuris vel societates sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium, eorum nomen

Ordinarius dicat, nec non finem, sodalium numerum, utilitatem; an emittant vota temporaria vel perpetua; et alia huiusmodi.

39. De *Religiosis mulieribus* Ordinarius referat:

a) an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cc. 512, 513, 520—527, 533—535, 547, 549, 550, 552, 600—605.

b) an sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis, vel similibus virorum domibus gerant; an cautum sit de vitandis periculis, et an aliquid habeatur reprehendendum.

40. Utrum *Virgines indigenae* extra claustra viventes habeantur, et quae earum vita et opera.

41. Quot *catechistae et magistri* scholarum utriusque sexus habeantur; an et quot viri et quot mulieres pueris moribundis baptismi collationi sint addicti; quomodo eorum honestae sustentationi provideatur.

CAPUT V. *De Seminariis.*

42. An Seminarium adsit, et in casu affirmativo referatur enucleate:

a) de *numero* et *statu* eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent (cc. 1358, 1361);

b) de statu aedium; *de reditibus et oneribus*, hoc est de statu activo et passivo pii Instituti; et an habeatur ecclesiasticum tributum pro Seminario (1356);

c) de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.

43. An Collegium praeparatorium ad Seminarium habeatur; an distinctum sit Seminarium in *maius* et *minus* (c. 1354 § 2); et *quot* alumni in singulis. An Missionis conditio exigat ut dumtaxat Seminarium minus constituatur et *Seminarium maius regionale* erigatur. (c. 1354 § 3; cfr. Instruct. cit. diei 18 octob. a. 1883).

44. *a*) An observentur cc. 1363, 1371 circa alumnos *admittendos* vel *excludendos*. An servetur c. 1357 circa *visitationem alumnorum* et regulas internas.

b) Quibus studiis ad normam cc. 1364—1366 clerici incumbant et praesertim an linguam latinam et patriam alumni accurate addiscant. An in pietate clerici se exerceant ut in c. 1367 praescribitur, et an spiritu ecclesiastico imbuantur urbanitatisque legibus excolantur (c. 1369).

45. *a*) Si Missio Seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus Missioni necessariis.

b) An *studium habeatur seligendi bonae spei iuvenes* ad clerum indigenam creandum; ubinam et quo fructu educentur (c. 305).

46. An Ordinarius curet ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria collegia, *praesertim* quae *Romae* sunt, adeat ut ibidem in studiis perficiatur (c. 1380).

47. An ante ordinationem clerici ad *aliquod ministerium per aliquod tempus exercendum* apud presbyteros idoneos mittantur, *probationis causa;* et quibus sub cautelis, ne vocatio clericorum detrimentum aliquod patiatur.

CAPUT VI. *De gentium conversione, et de catechumenis.*

48. *Quomodo* procedatur ad *propagandam* fidem inter ethnicos, in illis praesertim regionibus ubi christiani nondum habentur vel pauci tantum; et an opera tantum catechistarum vel etiam sacerdotum exterorum et indigenarum adhibeatur (cfr. Instruct. S. C. de Prop. Fide diei 8 septemberis a. 1869, in *Collectanea*, vol. II, pag. 21, n. 1346).

49. *a*) Utrum adsint *hospitia pro catechumenis* utriusque sexus, et quomodo ordinata sint. An omnes indiscriminatim qui petunt, statim ad catechumenatus hospitia mittantur, vel solum post congruum tempus probationis. Quanto tempore duret haec probatio.

b) An pecunia vel alia beneficia materialia praebeantur infidelibus fidei ignaris, ut ad catechumenatum trahantur; vel solus finis catechumenatus sit praeparatio proxima ad baptismum pro illis qui iam dispositi sunt et veritates principaliores religionis iam cognoscunt. Quam vigilantiam directe Ordinarius habeat hac in re.

c) Quanto tempore instructio catechumenorum duret, an sit sufficiens. An post baptismum neophytorum, instructio et educatio christiana perduret aliquibus mensibus (cfr. Instruct. cit. diei 18. octob. a. 1883).

d) An curet Ordinarius ut neophyti ad aliquam stationem vel christianitatem, post baptismum, adscribantur.

CAPUT VII. *De quibusdam piis Institutis diffundendae fidei utilibus.*

50. Utrum erectum sit aliquod *nosocomium*, an dis-

pensaria medicamentorum habeantur, et quomodo administrentur reditus pro infirmorum sustentatione.

51. *a*) An et quot adsint *orphanotrophia* pro pueris et puellis, et quibus subsidiis sustententur.

b) An et quaenam *opificia* habeantur ubi pueri et puellae aliquam artem addiscant.

52. *a*) Utrum et quae alia *instituta charitatis* habeantur: ut hospitia leprosorum, brephotrophia, gherontocomia et alia huiusmodi.

b) An *officinae typographicae* habeantur, quo facilius libri sacri vel scholares in bonum religionis evulgentur (cc. 1381, seq.).

c) Quae aliae fabricae in bonum Missionis institutae sint.

53. *a*) An adsint, praesertim in magnis civitatibus, inter catholicos, *uniones* illae quae *sociales* vocantur; an circuli pro iuventute etc.; an aggregationes operariorum, agricolarum etc. in aliquem charitatis finem vel mutuum subsidium; an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociles subsint; quaenam inde promanent beneficia moralia et temporalia.

b) An cura geratur ut qui huiusmodi associationibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

CAPUT VIII. *De educatione iuventutis in scholis.*

54. *a*) Circa scholas pro indigenis, sive pueris sive puellis, enucleate referatur tum de earum *numero*, tum de earum *gradu* et *distributione* in variis Missionis locis; scilicet an in praecipuis christianitatibus habeantur saltem scholae ad catechesim et preces addis-

cendas; utrum in singulis districtibus vel sectionibus scholae sive *inferiores* sive superiores ad litteras et reliquas scholares disciplinas addiscendas exstent; an aliquod aliud superioris instructionis Institutum adsit, et quonam in loco. An scholae sufficiant liberis fidelium (c. 1379), et an in ipsis christianae institutioni iuventutis apte provideatur. Numerus autem sive singularum scholarum sive alumnorum dicatur.

b) Quomodo deficientiae scholarum superiorum consuli in posterum possit.

c) Quibus credita sit iuventutis institutio, quot sint magistri catholici et quot acatholici vel infideles; quomodo sustententur. An habeatur schola normalis pro magistrorum formatione vel quomodo eius deficientiae provideatur.

55. *a*) An in ipsas admittantur *etiam filii acatholicorum* sive infidelium sive haereticorum; et quibus cautelis ne fidei catholicorum nocere possint; quinam ipsorum numerus respectu catholicorum; quomodo instructioni religiosae catholicorum provideatur (c. 1373); et num minister acatholicus pro instructione religiosa acatholicorum admittatur.

b) An in memoratis scholis servetur omnimoda *separatio puerorum a puellis.*

56. An adsint in dioecesi, vicariatu vel praefectura seu Missione *scholae ministrorum protestantium* vel *scholae paganae;* quinam earum numerus et gradus; an et quot adsint *scholae neutrae* ab auctoritate civili constitutae; utrum catholici eas frequentent, an iusta ratione, et quomodo eorum instructioni religiosae provisum sit; et quaenam cautelae ad periculum perversionis a pueris catholicis arcendum adhibeantur, iuxta c. 1374.

CAPUT IX. *De educatione iuventutis in collegiis.*

57. *a*) An et quot adsint *convictus seu collegia*, sive pro masculis sive pro foeminis; cui eorum directio concredita sit; utrum pro solis catholicis an in ipsa admittantur infideles vel haeretici et quibus cautelis; quinam ipsorum numerus respectu catholicorum; quomodo provideatur educationi religiosae catholicorum; an aliqua institutio religiosa detur acatholicis et infidelibus, et quo fructu; num admittantur ministri cultus acatholici, vel adolescentes ad eorum templa adducantur.

b) Quinam fructus pro religione habeatur ex istis *collegiis mixtis;* an potius aliquod ex his periculum pro fide habeatur vel immineat.

c) An collegium pro catechistis efformandis habeatur.

CAPUT X. *De populo fideli.*

58. Si laici ad Aulam Pontificiam pertinentes habeantur, nomen et titulus honoris in aula Pontificia obtentus, dies concessionis aliaeque notitiae dentur.

59. Dicatur: *a*) quot sint numero catholici, et quinam sint generatim *fidelium mores;* quaenam ratio vitae christianae privata in familiis; quaenam publica in oppidis et civitatibus; an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu.

b) An massonicae sectae addicti, vel etiam massonismi vel socialismi societates habeantur, quot numero, quanti momenti; et quid fiat ad occurrendum huic malo.

c) Utrum in exercitio iurium politicorum et ci-

vilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.

60. Quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt *prolis educationi* religiosae prospiciant (cc. 1113, 1372).

61. Num fideles cum paganis vel haereticis ita versentur, ut spirituale ipsis damnum vel religioni detrimentum obveniat.

CAPUT XI. *De Sacramentorum administratione.*

62. Exprimatur an in administrando *baptismo* serventur omnia praecepta Ritualis Romani et Codicis i. c. (praesertim cc. 740—744, 765—769). Speciatim vero, an fiat aliqua divisio caeremoniarum et quo idiomate interrogationes fiant (cc. 755—761).

63. An sacerdotes antequam baptismum adultis conferant, de statu libero eorum vel legitimo matrimonio diligenter inquirant et quae sint inquirendi normae.

64. An curent presbyteri ut ad sacramentum *confirmationis* fideles opportuno tempore accedant, et in periculo mortis infantes illud recipiant (cc. 785, 787 seq.).

65. An et qui sint in Missione *casus reservati*, utrum in reservatione modus et normae praescriptae cc. 895, 897, 898 observentur, et utrum fidelibus sufficienter innotescant (c. 899).

66. *a*) Utrum fideles solemni praeparatione et pompa ad *primam Communionem* admitti soleant, an excitentur ut frequenter et etiam quotidie, ubi sacerdos adest, pane eucharistico reficiantur (c. 863).

b) An fideles *praeceptum paschale* (c. 859) adimpleant.

67. An presbyteri diligentes se praebeant in reficiendis moribundis extrema unctione aliisque Sacramentis.

68. An in dioecesi, vicariatu vel praefectura aut Missione *forma celebrationis matrimonii* ad normam c. 1094 observetur. Et an antea praemittantur, quae in iure praescripta sunt (c. 1019 et seq.).

69. *a*) Quomodo se gerant sacerdotes in *dispensationibus* circa matrimonii impedimenta, et an curent observantiam instructionum huius S. C. circa aetatem praescriptam.

b) An dispensationes matrimoniales gratis concedantur (c. 1056), et in scriptis, et utrum exprimatur delegatio Apostolica (c. 1057).

70. An abusus *matrimoniorum mixtorum* invaluerit, et qua frequentia et quomodo circa ea presbyteri se gerant (cc. 1060, 1064, 1065, 1071).

71. An in celebratione matrimoniorum christiani immisceant aliquas *caeremonias superstitiosas*.

CAPUT XII. *De rebus ad divinum cultum spectantibus.*

72. *a*) An in sacris functionibus ac praesertim in administratione Sacramentorum, et in solemni Missae celebratione *ritus omnes S. R. E.* fideliter serventur (cc. 733, 1261); utrum *cantus adhibeantur*, et an iuxta canonicas praescriptiones (c. 1264).

b) An ingressus in ecclesiam sit, prout debet, semper gratuitus (c. 1181).

c) Utrum et quinam *populares cantus* in ecclesiis permittantur.

73. An servetur, quoad asservationem Ss. Eucha-

ristiae, can. 1265; an caveatur quodcumque periculum irreverentiae; an ea asservatio fiat cum debita decentia et quaenam sit in tantum Sacramentum fidelium devotio.

74. *a*) Utrum ad maiorem divini cultus decorem et ad pia opera exercenda, canonice instituti sint *Tertii Ordines* saeculares *Confraternitates*, sive virorum sive mulierum, praesertim SS. Sacramenti et Christianae Doctrinae (c. 711, § 2), aliaeque *piae Uniones* potissimum pro iuvenibus; quo numero et quo religionis profectu.

b) An hae associationes servent praescripta c. 690 de subiectione erga Ordinarium, et c. 691 de administrationis modo.

75. An in *cultu divino ac veneratione Sanctorum* aliquae superstitiones irrepserint et quae.

CAPUT XIII. *De festis, ieiuniis et abstinentiis.*

76. *a*) Quaenam *festa* de praecepto in Missione observentur et an peculiares difficultates habeantur ad alia introducenda quae in Codice praescripta sunt (c. 1247).

b) Quae apud fideles sit observantia festorum.

77. *a*) Quae *ieiunia*, quique *abstinentiae dies* serventur; an uniformitas habeatur respectu viciniorum Missionum et utrum introductioni legis communis (c. 1250 et seq.) obstet potius necessitas indigenarum quam Europaeorum, et quae sit ista necessitas.

b) Quae apud fideles sit observantia legis abstinentiae et ieiunii.

CAPUT XIV. *De ecclesiis, sacellis et presbyteriis.*

78. Exprimatur an sit in Missione *numerus* suffi-

ciens *ecclesiarum* et *sacellorum*; quot ea sint, et utrum munda, decentia et saltem necessariis ad divinum cultum ornamentis instructa sint.

79. An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant; et eae in quibus *SS. Eucharistia* adservatur, quotidie, si fieri potest, per aliquot horas fidelibus pateant (c. 1266); quomodo observentur cc. 1267—1271 circa *custodiam Ss.mi Sacramenti*.

80. An catholicus cultus *libere* exerceatur; et quatenus negative, an ratio suppetat qua obstacula e medio auferantur.

81. An iuxta ecclesias, capellas et oratoria adsit *residentia* pro sacerdote vel etiam decens presbyterium; aut saltem aliquis locus ubi sacerdos convenienter manere possit. Num sacerdos necessitate compellatur cibum et somnum capere in domibus christianorum, et an in hoc abusus habeatur.

CAPUT XV. *De coemeteriis et sepulturis.*

82 *a*) Utrum et quae *superstitiones in funeribus* apud christianos invaluerint.

b) An et quae taxae in funeribus exigantur.

83. An exsistant *coemeteria separata* pro christianis, clausa et benedicta; et an canonicae de his leges servari possint et serventur (c. 1205 et seq.). Si non habeantur, ad id obtinendum quid tentari possit.

CAPUT XVI. *De bonis Ecclesiae eorumque administratione.*

84. An et quibus limitationibus iuxta leges civiles Missio bona, sive mobilia sive immobilia, possit

proprio nomine possidere; et quae cautelae adhibeantur ut securitati ecclesiasticorum bonorum provideatur.

85. An institutum sit *Consilium Administrationis* et quot presbyteris exteris et indigenis constet; et an Ordinarius in negotiis maioris momenti illos audiat (c. 1520).

86. *a*) An *administratores particulares* sive ecclesiastici sive laici reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis (c. 1525) et servent iuris praescripta circa modum ipsius administrationis (cc. 1523, 1526, 1527, 1544, 1516, 1530—1533, 1538—1542).

b) An circa *oblationes* in commodum Missionis serventur praescripta cc. 1182, 533 § 1, 4°, 630 § 4, 631 § 3, et 535 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et an collectores se abstineant a vexatoria et odiosa requisitione.

c) An *inventaria* immobilium, mobilium et sacrae supellectilis uniuscuiusque ecclesiae vel pii loci confecta in duplici exemplari, altero pro pio opere, altero pro Curia Ordinarii, habeantur (cc. 1296, 1300—1302, 1522).

87. *a*) Utrum bona immobilia vel reditus in promptu Missio habeat ut sustentationi missionariorum, cleri indigenae et expensis pro divino cultu satisfaciat.

b) Si bona immobilia non habeantur, an spes adsit ut pedetentim certi reditus sive per oblationes fidelium sive alio modo constitui possint (cfr. Instr. S. C. de Prop. F., 19 martii a. 1893, ut in *Collectanea* v. II, p. 286, n. 1828, II).

c) Breviter prospectus accepti et expensi detur ut in appendice cap. XVI.

88. *a*) Circa *Missarum stipem,* quae taxa synodalis in Missione vigeat (c. 831). An sacerdotes Missas colligant, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant (c. 835); an exuberantes ad Ordinarium transmittant (c. 841).

b) Quomodo serventur quae cc. 843, 844 praescripta sunt de libro tam personali, quam ecclesiarum proprio, pro Missis adnotandis.

CAPUT XVII. *Iudicium summatim expositum circa statum Missionis.*

89. Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim *in sua prima relatione,* quid actu sentiat de materiali ac morali condicione Missionis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.

90. *In sequentibus* vero *relationibus* addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. C. in sua responsione ad praecedentem relationem dederit; et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in Missione, et quaenam harum rerum censeantur causae, quaenam proponantur remedia.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Prop. Fidei, die Paschae Resurrectionis, a. 1922.

G. M. Card. Van Rossum, Praefectus

† *Petrus Fumasoni Biondi,* Archiep. Diocletan., Secretarius.

Sequitur in originali appendix quaestionum comprehendentium (compendium notionum), qui hic brevitatis causa omittitur.

VI.

De iure religiosorum.

1. Normae secundum quas S. Congregatio de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet, die 6 Martii 1921. Acta Apostolicae Sedis XIII 312 ss.

Fons antiquior: Normae secundum quas S. Congregatio Episcoporum et Regularium procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium, die 28 Juni 1901. Romae, Typographia S. Congr. de Propaganda Fide, 1902. Scriptores: A. Battandier, Guide canonique pour les constitutions des instituts à voeux simples 6ième éd. Paris 1923. A. Vermeersch, De religiosis institutis et personis. Tractatus canonico-moralis ad recentissimas leges exaratus. I—II. 2a ed. Brugis 1904 ss. J. Biederlack, De Religiosis. Nova ed. cura M. Führich 1919. M. Brandys, Kirchliches Rechtsbuch für die religiösen Laiengenossenschaften der Brüder und Schwestern nach dem neuen Gesetzbuch der hl. Kirche. 2. Aufl. 1920. Timoth. Schäfer, Das Ordensrecht des Codex Juris canonici 1923. P. Bastien, Directoire canonique à l'usage des Congrégations à voeux simples. 3e éd. 1923.

Prooemium.

1. Parvus hic Normarum codex[1]) nihil aliud est quam sectio prior Normarum pro approbandis religiosis Institutis votorum simplicium, quae auctoritate Sacrae Congregationis EE. et RR., anno 1901, in lucem prodierunt, novo tamen Codici universali iuris canonici accommodata. Secunda enim sectio Normarum, post Codicis promulgationem, iam non videtur neces-

[1]) Nemini liceat sine venia Sanctae Sedis harum Normarum versiones in alias linguas edere.

saria, cum constitutionum scriptores et prae oculis habere debeant canones, qui religiosos respiciunt, et consulere possint probatos auctores, qui de religiosis, post editas praefatas Sacrae Congregationis EE. et RR. Normas, scripserunt.

2. Sicut vero novae Normae antiquarum titulum adamussim retinent, ita et eundem duplicem finem. Huc enim spectant:

a) ut in novis religiosis Congregationibus earumque constitutionibus approbandis stabilis quaedam praxis servetur;

b) ut, tam locorum Ordinarii, quam ipsarum Congregationum Superioribus documenta et informationes, ad Sacram Congregationem transmittenda, in prospectu sint, quo huiusmodi approbationum negotia facilius et celerius expediantur.

CAPUT I. *De diversis gradibus approbationis religiosarum Congregationum.*

3. Quoties aliquis Episcopus, iuxta canonem 492 § 1, novam aliquam religiosam votorum simplicium Congregationem condere opportunum iudicaverit, re adhuc integra Sacram Congregationem de Religiosis adeat, eam distincte docendo de iis, quae necessaria sunt, ut ipsa Sacra Congregatio de opportunitate novae fundationis mature iudicare possit.

4. Docebit praesertim, quis qualisque sit novae Congregationis auctor et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit Congregationis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera Congregatio

assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similes in dioecesi sint Congregationes, et quibus illae operibus insistant.

5. Licentia[1]) vero obtenta, iam nihil obstabit, quominus novam Congregationem condat. Congregatio tamen ita condita iuris erit dioecesani; ac propterea, etiam post suam fundationem, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, vi canonis 492 § 2, remanet dioecesana, Ordinariorum iurisdictioni, ad normam iuris, plane subiecta.

6. *Decretum laudis.* Est primus actus quo S. Sedes ad novae Congregationis opus manum ita admovet, ut desinat esse simpliciter dioecesana. Per hunc actum, Sacra Congregatio Religiosorum Sodalium negotiis praeposita, praemissa narratione prooemiali fundationis novae Religionis, eius tituli, votorum, formae regiminis ac auctoritatis supremi Moderatoris, concludit: „SSmus Dominus Noster N . . ., attentis litteris commendatitiis Antistitum, quorum in dioecesibus Instituti, de quo agitur, domus reperiuntur, Institutum ipsum, uti Congregationem religiosam sub regimine Moderatoris Generalis . . ., praesentis Decreti tenore, amplissimis verbis laudat ac commendat; salva Ordinariorum iurisdictione ad normam sacrorum canonum".

7. Hoc decretum laudis conceditur, si, post elapsum a prima fundatione congruum tempus, nova Congregatio satis diffusa fuerit et dederit fructus pietatis,

[1]) Haec licentia primum praescripta est Motu proprio Pii X „Dei providentis", die 16. Julii 1906, in: Acta S. Sedis XXXIX, 344 ss. Confer. c. 9 Extra III, 36.

observantiae religiosae et spiritualis emolumenti; de quibus constare debet per litteras testimoniales Antistitis vel Antistitum Ordinariorum, in cuius vel in quorum dioecesibus, seu territoriis, Congregatio habet domos vel domum.

8. Ad obtinendum decretum laudis exhiberi debent Sacrae Congregationi:

a) supplex libellus ad Summum Pontificem, subsignatus a supremo Moderatore et a suis Assistentibus seu Consiliariis;

b) litterae testimoniales Ordinariorum de quibus supra (cf. art. 7); quae litterae obsignatae et sub secreto mitti debent.

c) relatio a Moderatore supremo et a suis Assistentibus seu Consiliariis subscripta, ac ut authentica et veridica ab Episcopo domus principis Congregationis laudandae confirmata, qua exponatur, non modo ipsius Congregationis origo cum nomine fundatoris eiusque praecipuis qualitatibus, sed etiam eius status personalis, disciplinaris, materialis et oeconomicus, addita praeterea notitia de novitiatus institutione, de novitiorum et postulantium numero ac disciplina;

d) constitutiones ab Episcopo recognitae et approbatae, lingua vel latina, vel italica, vel gallica conscriptae et typis impressae;

e) denique, si agatur de aliqua Congregatione tertiariorum in communi viventium, etiam testimonium Moderatoris generalis primi Ordinis, quo constet eam eidem primo Ordini fuisse aggregatam, iuxta canonem 492 § 1.

9. *Decretum approbationis.* Conceditur decretum

approbationis novae Congregationi, si, post datum decretum laudis, per satis diuturni temporis experimentum probatur eius firma compago, constitutionum accommodatio et vigens observantia, regiminis recta ratio, religiosorum studium servandae disciplinae in vinculo caritatis ad intra, et zelus in adimplendis operibus suae Religionis propriis ad extra.

10. De praedictis conditionibus constet oportet tum ex relatione status Congregationis, quam iterum, prout supra in art. 8 *c*) describitur, supremus Moderator exhibere debet, cum supplicem libellum porrigit ad obtinendam approbationem; tum etiam ex commendationis litteris, iterum dandis, ut supra clausis, ab omnibus Ordinariis, in quorum territoriis aliqua novae Religionis domus sita est, tum demun ex constitutionum codice, iterum S. Congregationi exhibendo.

11. Per hoc alterum decretum, de quo sermo est, „Sanctissimus Dnus Noster N . . ., attenta ubertate salutarium fructuum, quos tulit Congregatio religiosa N . . ., attentisque . . ., eam approbat et confirmat sub regimine Moderatoris Generalis, salva Ordinariorum iurisdictione ad normam sacrorum canonum".

12. Quamvis inter decretum laudis et decretum approbationis congrui temporis decursus, ut supra dictum est (cf. art. 9), plerumque exigatur, nonnumquam tamen, licet raro, decretum definitivae approbationis conceditur, quin huic decretum laudis praecurrerit. Quod quidem fit, si conditiones in favorem novae Religionis, cum primum se sistit coram Sacram Congregationem, ita sunt numeris omnibus absolutae, ut nulla videatur ratio ulterius differendi definitivam approbationem.

CAPUT II. *De Congregationibus caute tantum, aut nullo modo laudandis et approbandis.*

13. Nullae fere, ni forte in missionum regionibus, laudandae approbandaeve erunt Congregationes quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universae pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectuntur.

14. Cautissime procedendum est in approbandis novis Congregationibus, quae non vivunt nisi ex eleemosynis atque stipe ostiatim collecta. Approbatis inculcanda est fidelis observantia canonum 622, 623 et 624.

15. Nec approbandae sunt, praecipue cum votis perpetuis, novae Sororum religiosae Congregationes, quae sibi proponunt finem in privatorum domiciliis infirmos utriusque sexus diurna atque nocturna cura iuvandi, vel domesticum servitium quotidianum in familiis pauperum et operariorum exercendi. Si vero approbatio aliquando et ob iustas causas concedenda videatur, in constitutionibus prudenter praescribantur conditiones et cautelae, quibus Sorores a periculis liberentur.

16. Item non facile conceditur approbatio Sororum Sodalitiis, quae sibi constituant scopum specialem:

a) instituendi in suis domibus valetudinaria aut diversoria pro personis utriusque sexus;

b) instituendi hospitia pro sacerdotibus suscipiendis;

c) docendi in scholis adulescentulorum, aut in iis, quae mixtae dicuntur, in quibus scilicet pueri et puellae simul congregantur.

17. Multo minus approbantur Congregationes quae sibi assumendam proponerent curam immediatam puerulorum in cunis vagientium, vel mulierum parturientium in domibus vulgo dictis *Maternitatis*, vel alia huiusmodi caritatis opera, quae virgines, Deo dicatas et habitu religioso indutas, dedecere videantur.

18. Demum animadvertendum est, nullam virorum Religionem, ad normam can. 500 § 3, sine speciali privilegio, posse sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum, aut earum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam.

CAPUT III. *De approbatione constitutionum.*

19. Pro obtinenda constitutionum approbatione supplex libellus, subsignatus a Moderatore supremo cum suis Assistentibus seu Consiliariis, Sacrae Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis praepositae porrigendus est, una cum constitutionum codice, relatione et commendationis litteris, prout supra, in art. 8 *b*), *c*), *d*) et 10.

20. In approbandis vero constitutionibus Sacra Congregatio per hos fere gradus procedit:

a) *Dilatio cum animadversionibus.* Nimirum si, instituto examine, constat multis correctionibus constitutiones indigere, differtur ad opportunius tempus petita approbatio, atque interim communicantur animadversiones, quibus ea indicantur, quae praecipue in exhibitis constitutionibus corrigenda, reformanda, addenda vel demenda sint.

b) *Approbatio ad experimentum.* Si exhibitae constitutiones tempore et usu non satis comprobatae videantur, et ceteroquin nec plurimis nec gravibus ani-

madversionibus obnoxiae sint, fit ex officio prima correctio in textu et datur decretum quo SSmus constitutiones, prout in correcto exemplari continentur, ad certum tempus, ex. gr. ad septennium, per modum experimenti, approbat atque confirmat.

c) *Approbatio definitiva.* Cum denique sufficiens praecesserit experimentum, constitutionum codex, in paucis iam emendandus, absolute corrigitur, et datur decretum quo SSmus constitutiones definitive approbat atque confirmat.

21. Quae vero de approbatione constitutionum disiuncte hucusque descripta sunt, coniunctim saepissime cum approbatione Congregationis hac ratione procedunt:

a) cum decreto laudis Congregationis dantur interdum opportunae animadversiones in folio super constitutionibus, termino praestituto, intra quem constitutiones ipsae emendatae Sacrae Congregationi iterum exhibendae sunt; quae tamen, si multis indigeant emendationibus, communicantur Congregationi, antequam concedatur decretum laudis; ita ut, in utroque casu, omne ius constitutiones propria auctoritate immutandi, vel emendandi, ademptum censeatur, post obtentum decretum laudis;

b) regulariter approbatio Congregationis conceditur, una cum decreto, quo constitutiones in textu emendatae approbantur, saltem experimenti gratia ad certum tempus.

CAPUT IV. *De excludendis a textu constitutionum.*

22. Excludenda sunt a textu constitutionum:

a) praefationes, introductiones, prooemia, noti-

tiae historicae, litterae hortatoriae vel laudatoriae, exceptis decretis laudis et approbationis a Sancta Sede concessis;

b) citationes textuum Sacrae Scripturae, Conciliorum, sanctorum Patrum, theologorum et quorumvis librorum vel auctorum;

c) citationes dispositionum, sive peculiaris directorii, sive privati caeremonialis aut manualis, sive cuiuscumque codicis consuetudinum vel usuum Congregationis, ne forte praefati libri aut codices approbati videantur; quamquam huiusmodi libros ad Sacram Congregationem mittere oportet, ut de eis opportune cognoscere possit;

d) quaevis mentio de legibus civilibus, de ordinationibus magistratuum civilium, de approbatione gubernii et similibus;

e) omnia ea quae respiciunt munera et officia Episcoporum et confessariorum: cum pro his non scribantur constitutiones, sed pro religiosis;

f) ordo studiorum et normae vivendi pro alumnis ac minute descripta horaria actuum diei pro domibus et operibus Congregationis;

g) quaestiones theologiae dogmaticae vel moralis, decisiones doctrinarum controversarum, praesertim in materia votorum;

h) termini iuris canonici qui Congregationibus religiosis applicari non possunt; verbi gratia, *Regula, Ordo, Monasterium, Moniales*, etc.; quorum loco respective dicendum est: *Constitutiones, Congregatio religiosa*, seu *Religio votorum simplicium, Domus, Sorores*, etc.;

i) licet brevia spiritualis et religiosae vitae documenta sint opportuna, excludendae tamen sunt pro-

lixiores instructiones asceticae, exhortationes spirituales ex professo, et mysticae considerationes, quae omnia aptius pertractantur in libris asceticis: cum constitutiones continere debeant tantum leges constitutivas Congregationis et directivas actuum communitatis, sive quod ad gubernium attinet, sive ad disciplinam et normam vitae;

k) minutissimae quaelibet praescriptiones circa secundaria et infima officia, quae respiciunt culinam, valetudinarium, vestimentorum curam etc.: cum istae gravitatem textus constitutionum a Sancta Sede Apostolica approbandarum, minime deceant;

l) dispositiones denique cuiusvis generis, quae, sive explicite sive implicite, aliquid contra ius contineant.

CAPUT V. *Generalia in constitutionibus requisita.*

23. Constitutionum codex continere debet ea quae respiciunt notiones et dispositiones;

a) de religiosae Congregationis natura, votis, membris et modo vivendi;

b) de Congregationis gubernio, administratione et officiis.

24. Haec vero omnia distribui possunt in duas, tres vel quatuor partes, sed summopere commendatur brevitas, claritas et optimus ordo.

25. Constitutiones dividantur in partes, partes in capita, capita in articulos seu paragraphos; hisce praeponantur numeri ab initio ad finem progredientes.

CAPUT VI. *Specialia de titulo.*

26. Titulus seu nomen Congregationis religiosae desumi potest vel a Dei attributis, vel a Sanctae

nostrae Religionis mysteriis, vel a festis Domini et Beatissimae Virginis Mariae, vel a Sanctis, vel a fine speciali ipsius Congregationis.

27. Ne nomen seu titulus Religionis iam constitutae usurpent novae Congregationes, iam cautum est in canone 492 § 3. Ut igitur huic dispositioni satisfiat, debent novae religiosae Congregationes aliquid saltem titulo iam approbatarum addere, quo distinctio inter singulas satis appareat.

28. Cavendum insuper, ne tituli religiosarum Congregationum vel nimis artificiose compositi sint, vel quampiam devotionis speciem, a Sancta Sede Apostolica non probatam, exprimant aut innuant.

DECRETVM.

Sanctissimus D.nus Noster Benedictus divina Providentia PP. XV, in audientia concessa die 6 martii 1921 R. P. D. Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis, audito suffragio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum Cardinalium eidem Sacrae Congregationi praepositorum, suprascriptas Normas, ab eadem Sacra Congregatione servandas, approbavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praeposita die 6 martii 1921.

Th. Card. Valfré di Bonzo, Praefectus.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. B. S., Secretarius.

2. Instructio S. Congregationis de Religiosis de secundo novitiatus anno, die 3. Nov. 1921. Acta Apostolicae Sedis XIII, 539 s.

Plures exstant religiones in quarum constitutionibus praescribitur alter novitiatus annus et facultas fit Superioribus adhibendi tyrones, eo perdurante, in operibus Instituti exercendis. Ne vero exinde aliquid detrimenti capiat tyronum religiosa informatio et abusus qui irrepere possent arceantur, haec Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, occasionem nacta revisionis constitutionum singularum religionum ad Codicem conformatarum, rem diligenti studio subiecit et Eminentissimi Patres, in plenario coetu diei 17 iunii 1921, omnibus perpensis, sententiam suam aperuerunt, quae in audientia diei 25 eiusdem mensis Ssmo D. N. Benedicto PP. XV relata fuit.

Sanctitas porro Sua sententiam probavit simulque mandavit, ut hac de re instructio ederetur, cui omnes et singulae congregationes religiosae, in quibus secundus novitiatus annus ex constitutionum praescripto peragitur, integre se conformare teneantur.

I. Quoties igitur constitutiones praescribant secundum novitiatus annum in eoque sinant novitios in operibus propriis Instituti se exercere, hoc liceat, salvis fundamentalibus novitiatus legibus. Ideoque prae oculis habendum est novitiatum esse institutum ad novitiorum animos informandos, in iis quae ad vitia extirpanda, motus animi compescendos, virtutes acquirendas necnon vitam regularem addiscendam per constitutionum studium, pertinent; ut novitii ad chri-

stianam perfectionem per evangelicorum consiliorum ac votorum professionem, in quo praecise cuiusque religiosi finis consistit, tendere discant. Et iure merito novitiatus ultra annum praescribitur in aliquibus Institutis, ex eis praecipue quorum religiosi operibus exterioribus dant operam, quippe qui variis distracti curis, saeculi periculis magis obnoxii, solidiore atque firmiore spiritus fundamento egent. Quamobrem mandat haec Sacra Congregatio ut, etiam secundo novitiatus anno perdurante, ante omnia quaelibet munia, disciplina spiritualis vitae apprime curetur.

II. Fas tamen esto, secundo novitiatus anno, novitio vel novitiae Instituti operibus vacare, si id ferant constitutiones; verum prudenter et moderate id fiat, tantummodo ad novitiorum instructionem; nec unquam in iisdem operibus tyrones adeo occupentur, ut per se soli officia exerceant (v. gr.: supplendo in scholis magistris aut quasi-magistris absentibus, vel in nosocomiis infirmis ministrando), sed operibus ipsis vacent sub directione et vigilantia gravis religiosi, vel religiosae, qui verbo doceat exemploque praecurrat.

III. Si quando a constitutionibus permittatur ut novitius vel novitia, secundo novitiatus anno, ad opera Instituti extra domum novitiatus mittatur, hoc nonnisi per modum exceptionis agatur et dummodo gravis adsit causa, quae id suadeat: haec autem causa ex parte novitii vel novitiae se habere debet, quatenus in domo novitiatus aut sufficienter institui nequeant, aut ibidem aliter permanere non valeant; numquam vero, sub quocumque praetextu, sufficiens esse causa possit necessitas aut utilitas religionis,

si, exempli gratia, ex deficientia religiosorum novitii in operibus Instituti illis substituerentur.

IV. Sive autem in domo novitiatus, sive extra, tyrones permanserint, duobus ante professionem mensibus ab omni opere externo abstineant, et, si extra novitiatum fuerint, ad illum revocentur, ut per integrum bimestre ad professionem emittendam, in spiritu suae vocationis firmati, se praeparent.

V. Ssmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV in audientia habita a. R. P. D. Ab. Secretario die 3 novembris 1921 tenorem huius Instructionis approbavit eamque ab omnibus servari mandavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis die, mense et anno ut supra,

Th. Card. Valfré di Bonzo, Praefectus.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

3. Resolutio S. Congregationis de Religiosis de professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa, die 30 Decembris 1922. Acta Apostolicae Sedis XV, 156 ss.

Fontes antiquiores: Constitutio Pii V „Summi sacerdotii", die 23. Aug. 1570, Decretum S. Congr. de Religiosis „Spirituali consolationi", die 10. Sept. 1912 (Acta Ap. Sedis IV, 589 s).

Iam inde a Codicis promulgatione dubium exortum est: „An decretum quod incipit *Spirituali consolationi* [1]), a Sacra Congregatione de Religiosis editum sub die 10 septembris 1912, adhuc vigeat" praecipue

[1]) Acta Apostolicae Sedis IV, 589 s.

cum in Codice iuris canonici nulla mentio de professione in articulo mortis fiat. Cumque instantissime ab hac Sacra Congregatione peteretur, tam in particularibus casibus, quam in novis Constitutionibus condendis, ut facultas per supradictum decretum concessa renovaretur, res definienda visa est.

Quapropter, plurium Consultorum praerequisito voto, E.mi Patres Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenariis comitiis ad Vaticanum habitis de 23 decembris 1922, re mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuerunt: „*Affirmative;* at declarandum, si ita SS.mo placuerit, quod facultas recipiendi professionem, de qua in n. 2 decreti, praeter Superiorem monasterii aut domus novitiatus vel probandatus, intelligatur competere etiam ad respectivos Superiores maiores iuxta Constitutiones, et ad praedictorum omnium delegatos".

Quam sententiam SS.mus D. N. Papa div. Prov. Pius XI, in audientia habita ab infrascripto P. Abbate Secretario die 30 decembris eiusdem anni, in omnibus approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Opportunum autem visum est praedicti decreti dispositiones ad sensum resolutionis E.morum Patrum accommodatas, in memoriam revocare eum in finem ut tam benigna Sedis Apostolicae concessio omnibus interesse habentibus prodesse valeat.

Illae autem sunt tenoris sequentis:

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita

agitur, more Religiosorum, liceat exinde Novitios seu Probandos, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut novitii seu probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet:

1. Ut novitiatum seu probationem canonice inceperint.

2. Superior qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, *praeter Superiores Maiores respectivos, quibus ex praescripto Constitutionum competit, esse possit etiam* ille qui monasterium, vel novitiatus aut probandatus domum actu regat, *aut praedictorum Superiorum delegatus.*

3. Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

4. Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilaei misericorditer in Domino conceditur.

5. Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium produci effectum.

Proinde:

A) Si Novitius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus exspiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionem emisisset; ideoque: a) libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et *b*) Superiores illum dimittere valent; *c*) totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet sit ultra annum, explere debet; *d*) hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Declarat denique haec Sacra Congregatio, nihil obstare quominus praedictae dispositiones etiam in Constitutiones Ordinum et Congregationum inseri valeant, si hoc Instituta ipsa postulent.

Romae, ex Sacra Congregatione de Religiosis, die 30 decembris 1922.

C. Card. *Laurenti*, Praefectus.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

4. Litterae circulares Emi Praefecti Congr. de Religiosis circa eiusdem personae repetitam electionem ad munus moderatricis generalis, die 9 Martii 1920. Acta Apostolicae Sedis XII, 365 ss.

Saepissime accidit, ut Moderatrices generales Institutorum, quae ex praescripto suarum Constitutionum ad plurium annorum periodum eliguntur, et iterum

ad idem munus immediate eligi queunt, tertio etiam et pluries, suffragio capitulari expetitae, opus habeant recurrendi ad H. S. C. de Religiosis pro debita facultate obtinenda.

Haec frequens regiminis protractio ultra tempus a Constitutionibus statutum aut permissum, minus opportuna videtur, praecipue cum ordinarie munus Moderatricis generalis ad sex annos duret, ex quo fit ut eadem persona, iterum electa, per duodecim annos continuos regimen legitime tenere queat. Si vero faciliter permittantur ulteriores reelectiones, in cassum cedit finis Constitutionum, quae *ad tempus* regimen ab eadem persona in Instituto tenendum esse praescribunt, cui temporaneitati tota Constitutionum compago innititur. Hinc fit ut non raro, ex nimis protracto regimine unius eiusdemque personae, non parvi momenti incommoda et detrimenta Instituto proveniant. Nec valet quod in pluribus religiosarum Congregationum Constitutionibus expresse dicatur etiam *tertio* Moderatricem generalem posse eligi, dummodo duae tertiae partes suffragiorum eidem faveant et S. Sedis confirmatio accedat; hoc enim ita intelligendum est, ut si aliquando ob graves causas eadem persona tertio aut ulterius nominari debeat, hoc fieri nequeat nisi adsint illae conditiones. Hinc retinendum est quod in casu occurrit vera inhabilitas ad huiusmodi munus; quoties autem inhabilitas aliqua ex iure habetur, causae graves ad dispensationem requiruntur; unde simplex voluntas electorum aut idoneitas personae non est de se sufficiens ratio ad dispensationem obtinendam. Persona vero tali inhabilitate laborans non eligi, sed postulari canonice debet.

Eadem sane animadvertenda sunt, servata debita proportione, circa electiones Abbatissarum, seu Antistitarum monialium, quibus per Constitutionem Gregorii XIII [1]) prohibitum fuit quominus ultra triennium regimen monasterii haberent; quamvis vero in Codice Iuris Canonici haec praescriptio confirmata haud fuerit, tamen ex Summi Pontificis mandato H. S. C. in Constitutionibus monasteriorum eam servari praecipit. Cum tamen in monasteriis electio peragenda est intra Communitatis membra, quae saepe pauca sunt, facilius causa ad dispensationem haberi poterit, ex defectu scilicet idoneae personae.

Haec omnia revolvens animo SS.mus D. N. Benedictus XV, ad praecavendos abusus, qui in hac re facile subrepere possunt, mandatum dedit monendi singulos Ordinarios locorum, quibus cura incumbit praesidendi electionibus sive Moderatricis generalis in capitulis Congregationum, sive Antistitarum in monasteriis monialium suae dioecesis, ut de praefata inhabilitate electrices doceant, et si quando certiores fiant capitulares in eamdem personam ultra tempus a Constitutione permissum suffragium esse laturas, inquirant de specialibus et gravibus causis, quae postulationem exigere videantur, et moneant vocales Sedem Apostolicam *difficilem omnino se praebere* ad huiusmodi gratiam concedendam. Insuper noverint oportet, postulationem nonnisi perpensis mature causis admitti, quae proinde per litteras ab Ordinario ipsi Sanctae Sedi exponi debent. Quod sane non modicum tempus requirit et certum incommodum affert capitulari-

[1]) Cost. *Exposcit debitum,* 1. Jan. 1583.

bus, quae responsum exspectare debent antequam ad ulteriora procedere possint.

Si quando tamen causae ita graves adsint, quae eiusdem personae electionem exigant ultra tempus in Constitutionibus permissum, Ordinarius, dispensationis obtinendae causa, petitionem ad Sacram Congregationem mittat, in qua clare et distincte referat, quot scrutiniis fuerit postulatio completa, quotve suffragia ex numero capitularium electae faverint; praecipue rationes exponat quae talem reelectionem exigere videantur, addita quoque sua sententia.

Interim omnia tibi fausta a Domino adprecor.

Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 9 martii 1920.

Card. *Theodorus Valfré di Bonzo*, Praefectus.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

5. Instructio S. Congregationis de Religiosis circa clausuram papalem, die 6 Februarii 1924. Acta Apostolicae Sedis XVI, 96.

Fons antiquior: Constitutio Pii V. „Regularium", die 24. Oct. 1566.

Nuper edito ab hac Sacra Congregatione decreto „circa moniales in Gallia et in Belgio", sub die 23 iunii 1923 [1]), quamplura monasteria ex illis regionibus alacriter egerunt de obtinenda facultate qua moniales eorumdem ad vota solemnia profitenda admitterentur; et enixe postularunt, ut de Clausurae Papalis lege, quae talem concessionem consequitur, rite ab hac Sacra Congregatione instruerentur.

[1]) A. A. S. XV, 357.

Considerans vero eadem Sacra Congregatio, legem clausurae in Codicem iuris canonici receptam ex veteri iure esse depromptam, eamque a S. Pii V tempore servatam, quamplurimis Sacrarum Congregationum responsis communitam et Doctorum elucubrationibus illustratam fuisse, opportunum iudicavit ut Instructio promulgaretur, quae veluti norma pro universis monialium monasteriis, in quibus vota solemnia emittuntur, esse queat.

Re igitur mature perpensa, Sacra Congregatio, ea quae sequuntur, circa legem Clausurae Papalis, servanda decrevit:

I. Moniales, vi suae professionis et legis ecclesiasticae, contrahunt obligationem:

a) semper manendi intra septa sui cuiusque monasterii, ita ut, sine speciali Sanctae Sedis indulto, inde exire non liceat, salvis casibus de quibus infra (can. 601);

b) nec admittendi intra eadem septa quamcumque personam cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis, sine licentia Sanctae Sedis, nisi persona sit a iure excepta, ut infra (can. 600).

Haec est Clausurae Papalis lex et obligatio, eaque afficit etiam monasteria in quibus monialium numerus quantuncumque imminutus sit.

II. Monasterium ergo, una cum adiacentibus hortis et viridariis (can. 597 § 2), ita circumseptum esse debet, ut, quoad fieri potest, nullus sit in ea vel ab iis prospectus externarum personarum (can. 602).

1° Si quae fenestrae respiciant publicam plateam vel domos vicinas, vel communicationem cum extraneis

permittant, ita vitris opacis vel valvulis (foriculis) muniri debent, ut prospectus hinc inde impediatur.

2° Si chorus crates habet per quas moniales altare videant, ita crates dispositae esse debent ut fideles, e loco ipsis reservato, ipsas moniales videre nequeant.

3° Sedes confessionalis ita disposita sit oportet ut confessarius extra clausuram, poenitentes vero intra reperiantur.

4° Locus in quo moniales sacram Communionem recipiunt, ita sive porta sive sipario, occlusus esse debet, ut moniales a fidelibus videri nequeant.

5° Apud ianuam monasterii, in sacrario et ubicumque necessarium videatur, rota muro inseratur, per quam res necessariae transmitti possint. Nihil obstat quominus hac in rota parvum foramen sit, per quod videri possit quaenam res rotae immittantur.

6° Intra limites Clausurae Papalis non comprehenditur publicum templum cum continenti Sacrario, ad quae propterea, sine Sanctae Sedis indulto, moniales accedere nequeunt.

III. Duobus modis lex clausurae violari potest: aut per indebitum *egressum monialium* e septis monasterii, quocumque praetextu, etiam ad breve tempus, factum (can. 601), aut per indebitum *ingressum cuiuscumque alius personae* sine licentia Sanctae Sedis.

1° *Egressus* e monasterio sine licentia Sanctae Sedis monialibus, post professionem, licet solummodo in casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, ab Ordinario loci scripto recognosci debet (can. 601).

a) Talia pericula erunt: incendium, inundatio,

ruina fabricae, terrores belli, invasio militum et cetera huiusmodi. Eadem provenire possunt etiam ex parte cuiusdam monialis, exempli gratia, dementia periculosa affectae aut morbo epidemico laborantis, quo in casu huiusmodi monialis e clausura recedere debet, ut incolumitati religiosae communitatis consulatur. Si tamen tempus permittat, Ordinarius loci, a monialibus rogatus, periculum et causam sufficientem egrediendi e clausura scripto recognoscere debet.

b) Sine licentia Sanctae Sedis ergo non potest monialis ab uno monasterio ad aliud, etiam eiusdem Ordinis, nec ad breve tempus, transferri, nec exire causa novae fundationis faciendae; nec ut exerceat munus abbatissae seu antistitae aut magistrae novitiarum; nec ad curandam valetudinem; nec ad invigilandum aedificationi novi monasterii. Quae tamen licentiae a Sacra Congregatione, iustis de causis et debitis praescriptis conditionibus, concedi solent.

c) Si supra tectum monasterii sit ambulacrum, ad illud accedere moniales poterunt, dummodo cratibus undequaque rite protegatur.

d) Cum saepissime necessitas adsit, ut moniales, propter decorem domus Dei, per seipsas in ecclesia exteriore ea faciant, quae requiruntur ut semper debita munditie et nitore resplendeat, et praecipue in festis maioribus convenienti ornatu decoretur, Sancta Sedes, pro monasteriis id petentibus, antistitae facultatem concedit designandi religiosas, quotquot videantur necessariae, quae tempore quo nemo est in ecclesia et haec omnino clausa manet, in eam descendere possint, ut ea omnia agant quae ad cultum ecclesiae eiusque munditiem pertinent.

e) Quamvis adspirantes ad habitum religiosum, dum postulatum peragunt, lege clausurae teneantur (can. 540 § 3), tamen libere et absque licentia Sanctae Sedis e monasterio egredi possunt quando ad saeculum sponte eas redire aut a superioribus dimitti contingat ; et idem de novitiis dicendum, aut de professis votorum temporariorum quando vota expiraverint, vel legitime dimissae fuerint.

2° *Ingressus* in monasterium sine venia Sanctae Sedis, vi can. 600, sequentibus personis licet:

a) Ordinario loci aut superiori regulari monasterium visitantibus, vel aliis visitatoribus ab ipsis delegatis, licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur (can. 600, 1°).

b) Pro sola igitur visitatione *locali* peragenda visitatori clausuram ingredi licet. Visitatio *personalis* extra clausuram ad crates fieri debet. Nec Ordinario aut superiori regulari aut visitatori extra actum visitationis ratione officii clausuram ingredi fas est.

c) Causa explorationis, quae ante vestitionem et utramque professionem ab Ordinario loci vel eius delegato fieri debet, nec non pro electione antistitae, Ordinarius loci aut eius delegatus clausuram ingredi non debet (can. 506 § 2, 552 § 2).

d) Si vestitioni vel professioni monialium Episcopus vel alius sacerdos praesit, neque ipsis clausuram ingredi, neque postulanti aut professurae ex ea egredi licet.

e) Visitator ingressurus clausuram inspectionis causa ab uno saltem clerico vel religioso, etiam con-

verso, maturae aetatis, comitari debet, qui toto tempore, quo in monasterio moratur, ab eo non discedat.

f) Confessarius, vel qui eius vices gerit, potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad adsistendum morientibus (can. 600, 2°). Haec facultas respicit confessarium ordinarium monasterii, vel qui eius vices gerit, quibus ex can. 514 § 2 competit administratio Sacramentorum et adsistentia morientibus in monasteriis monialium; in horum defectu alius etiam sacerdos clausuram ingredi potest.

g) Ad excipiendas confessiones aegrotantium ingredi clausuram potest, quoties requiratur, non solum confessarius ordinarius, sed etiam extraordinarius vel adiunctus aut confessarius quilibet a graviter aegrotante accersitus, de quo in can. 523 fit sermo.

h) Debitae cautelae adhibendae *pro Communione administranda* in decreto Sacrae Congregationis de Religiosis diei 1ae septembris 1912 exhibentur: „Oportet ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem, aliquas consecratas Particulas continentem, deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a *Rituali Romano* pro Communione infirmorum statutis".

i) *Pro Confessione excipienda* sequentes cautelae praescribuntur: duae moniales confessarium ad cellam infirmae comitentur ibique ante ostium cellae apertum expectent, dum Confessionem audit, ut redeuntem ad monasterii ianuam iterum comitari possint.

k) Quandocumque sacerdotem ad supradicta ministeria obeunda clausuram ingredi contingat, finito ipso ministerio statim e monasterio egredi debet.

l) Si verbum Dei monialibus ad crates commode praedicari non potest, Sanctae Sedis licentia exquirenda est, quae, si graves adsunt rationes, eam denegare non solet, ut praedicatores clausuram ingredi et in choro sive in capitulo praedicare valeant, servatis tamen animadversionibus et cautelis pro ingressu confessarii supra descriptis.

m) Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; item Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales (can. 600, 3°).

n) Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera est necessaria, impetrata prius saltem habituali adprobatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat, nec tempus suppetat adprobationem petendi, haec iure supponitur (can. 600, 4°).

o) Antistita ergo, facultate hac ipsa lege a Sancta Sede sibi tributa, potest omnibus personis, quorum opera intra septa monasterii necessaria est, ingressum permittere; prius tamen ab Ordinario loci saltem habitualem adprobationem obtinere debet. Hinc usuvenit, ut moniales in principio cuiuslibet anni in libro apposito recenseant eos omnes, quorum opera, ut plurimum, in monasterio, vel in horto, vel in officinis intra septa monasterii sitis, durante anno, occurret (medicos, aut alios ad infirmarum curationem necessarios, operarios pro horto, pro cella vinaria, pro stabulis opifices et alias huiusmodi personas); quem librum

Ordinario pro illa habituali adprobatione obtinenda subscribendum praesentent. Si vero in aliquo casu extraordinario necessitas monasterii ingrediendi urgeat, nec tempus suppetat adprobationem ab Ordinario petendi, haec approbatio iure praesumitur, id est ipsa lex hanc praesumptionem ratam habet.

p) Antistitae autem iniungitur in omnibus casibus debitas adhibere cautelas. Quae quidem cautelae in hoc consistunt quod personae ingredientes, ex assumptis certis informationibus, sint optimae famae ac moribus praestantes, a duabus monialibus, ex gravioribus, ad locum, ubi eorum opera requiritur, comitentur, nec ulli moniali permittatur huiusmodi personas alloqui praeter eas, quae cum illis de eorum officiis agere debent.

IV. Claves clausurae diu noctuque semper sint apud anstititam, quae illas tradet monialibus designatis, quoties opus fuerit.

Quod si antistita vel quaelibet alia, personam quamcumque sine legitima licentia in monasterium introduceret, vel solum admitteret, non tantum graviter peccaret, sed etiam ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam incurreret (can. 2342, 1°).

Adspirantes ad habitum religiosum clausuram ingrediuntur de licentia Ordinarii. Puellas tamen educationis causa vel alia etiam pia causa in monasterium admittere, absque Sanctae Sedis licentia, non licet.

V. In collocutorio, quo moniales, intra limites a Constitutionibus uniuscuiusque religionis praescriptos,

externas personas recipere possunt, duae debent esse crates, inter se spatio circiter viginti centimetrorum distantes atque muro infixae, ita ut aperiri nequeant. Si Constitutiones id permittant, in collocutorio etiam rota esse potest. Quo vero ad cetera omnia quae collocutorium respiciunt, praecipue circa vigilantiam de iis quae ibi fiunt aut dicuntur, Constitutiones uniuscuiusque monasterii exacte observentur.

VI. Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, quoad eius accuratam observantiam, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes contra eam, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere post delictum et coërcere ne eam violent. Etiam superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest (can. 603).

Facta autem de praemissis relatione SS.mo D. N. Pio div. Prov. PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario S. Congregationis de Religiosis die 6 februarii 1924, Sanctitas Sua praesentem Instructionem approbavit et ab omnibus servari mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die, mense et anno ut supra.

C. Card. *Laurenti,* Praefectus.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

VII.

De Sanctissima Eucharistia.

1. Resolutio S. Congregationis de Sacramentis super sacris hostiis consecrandis, die 7. Dec. 1918. Acta Apostolicae Sedis XI, 8.

Relatum est huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum in nonnullis Dioecesibus quosdam Vicarios Foraneos, aut Decanos vel Parochos solere singulis duobus vel tribus mensibus hostias comparare easque distribuere in propriis et filialibus Ecclesiis pro Missae sacrificio peragendo ac pro fidelium eucharistica Communione. Elapso hoc temporis spatio, nova fit acquisitio et distributio hostiarum, quae pariter duobus vel tribus mensibus sufficiant, ac ita deinceps. Et exquisitum est an probari possit huismodi praxis adhibendi, pro SS.mo Eucharistiae sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas.

Haec S. Congregatio, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondit: *negative, et servetur praescriptum Ritualis Romani et Codicis Iuris Canonici.*

Rituale Romanum (tit. IV, cap. 1, *De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento*) haec praecipit: „Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit (parochus). Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes; et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat".

In Codice Iuris Canonici haec statuuntur: Can. 815: „panis (pro Missae sacrificio) debet esse mere triticeus et recenter confectus ita ut nullum sit periculum corruptionis. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum". Can. 1272: „Ho-

stiae consecratae sive propter fidelium Communionem, sive propter expositionem Sanctissimi Sacramenti et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit".

Propter maximam autem quae debetur reverentiam erga SS. Eucharistiae Sacramentum mandat haec S. Congregatio ut in cunctis ecclesiasticis Dioecesium ephemeridibus datum responsum edatur, quo facilius omnibus patescat et ab iis, ad quos spectat, fideliter ac religiose servetur.

Datum ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 decembris 1918.

Ph. Card. Giustini, Praefectus.

L. † S.

† *A. Capotosti*, Ep. Thermen., Secretarius.

2. Litterae circulares S. Congregationis S. Officii super ieiunio eucharistico ante celebrationem Missae servando, die 22. Martii 1923. Acta Apostolicae Sedis XV, 151 s.

Optime novit Amplitudo Tua qua diligentissima cura legem ecclesiasticam ieiunii eucharistici, praesertim quod attinet ad sacerdotes sacrosanctum Missae sacrificium celebraturos, Sancta haec Apostolica Sedes semper tuita sit; nec dubitandum quin et in posterum eius observantia generatim urgere debeat. Sed ne forte ex lege ecclesiastica qua reali Corpori Christi debitum praestatur obsequium, corpus Christi mysticum seu animarum salus detrimentum capiat, Suprema

haec Sacra Congregatio Sancti Officii, ex animo perpendens multitudinem officiorum quibus sacerdotes diebus festis incumbere debent ad commissum sibi gregem salutari pabulo enutriendum; et quod ob cleri penuriam multi ex eis sanctae Missae celebrationem iterare coguntur; idque non raro in locis longe dissitis, aditu difficilibus, inclementi aeris temperie divexatis, vel in aliis contrariis rerum et locorum adiunctis; decrevit in certis casibus et sub determinatis conditionibus eamdem ieiunii legem per opportunas dispensationes aliqua ex parte mitigare.

Quoties igitur sacerdotes, iuxta can. 801, 2, Missam eodem die iterare aut etiam tardiore hora ad Sacrum Altare accedere necesse habeant; si quidem sine gravi damno ieiunii eucharistici legem, vel infirmae valetudinis causa, vel propter nimium sacri ministerii laborem, aliasve rationabiles causas, ad rigorem servare nequeant; Supremae huic Congregationi locorum Ordinarii, omnibus rerum adiunctis diligenter expositis, recurrere poterunt. Quae pro diversitate casuum (sive cum singulis ipsamet dispensando, sive, quando vera ac probata necessitas id omnino suadeat, habituales quoque facultates ipsis Ordinariis tribuendo) opportune providebit. Quae quidem facultates pro casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, iam ex nunc Amplitudini tuae conceduntur, per te ipsum, graviter onerata conscientia, exercendas: hisce tamen sub conditionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus, exclusis inebriantibus, sumere permittatur; efficaciter scandalum removeatur; ac quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat.

Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem.

Haec ad pastorale Tibi ministerium facilius utiliusque reddendum, probante Ss.mo Domino Nostro Pio PP. XI, dereta, dum libens tecum communico fausta quoque ac felicia tibi adprecor a Domino.

Romae, ex aedibus Sancti Officii, 22 martii 1923.

R. Card. Merry del Val, Secretarius.

VIII.

De matrimonio et processu matrimoniali.

1. Instructio S. Congr. de Sacramentis super probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii, die 4 Julii 1921. Acta Apostolicae Sedis XIII, 348 s.

Fons antiquior: Instructio S. Congr. de Sacramentis die 6 Martii 1911 (Acta Ap. Sedis III, 102 s.).

Iterum conquesti sunt haut pauci Ordinarii locorum quod parochi, praesertim in exteris dissitisque regionibus ad quas frequentes demigrant ex Europa opifices, horum aliquando matrimoniis assistant, quin praescripta iuris tum de statu libertatis tum de initi matrimonii denuntiatione rite serventur; ex quo fit ut non raro novum contra fas attentetur matrimonium ab iis qui adhuc priore vinculo adstringuntur.

Ad huiusmodi malum praecavendum, quo sacra familiae christianae iura pessumdantur, parentes vinculis damnationis illaqueantur, et filii perversionis

periculo facile obiiciuntur, haec Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum die 6 mensis martii anni 1911 Instructionem Ordinariis dedit quae in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis*, vol. III, pag. 102 sub die 15 eiusdem mensis evulgata est.

Verum ne quis, in negotio tam gravi, huic Instructioni aliquid a Codice iuris canonici derogatum esse putet, Emi Patres huius Sacrae Congregationis in generali conventu die 26 mensis iunii currentis anni habito, eam, ipsius Codicis praescriptionibus suffultam, Ordinariis iterum sequentis tenoris dandam censuerunt.

1. Ordinarii in parochorum memoriam revocare satagant haud licere ipsis adstare matrimonio, ne praetextu quidem et intentione avertendi fideles a turpi concubinatu aut praecavendi scandalum coniugii, quod vocant, civilis, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis (can. 1020 et 1097 § 1 Cod. iur. can.), iidemque moneantur ne omittant, ad normam can. 1021, baptismi testimonium a contrahentibus exigere si hic in alia paroecia fuerit collatus.

2. Vi can. 1103 § 2 parochus qui matrimonio interfuit, ad parochum baptismi transmittere festinet initi contractus denuntiationem quae, ut praescripta eiusdem canonis rite serventur, contineat oportet coniugum eorumque parentum nomina et agnomina, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium pariter nomina et agnomina, denique ipsum parochi nomen et agnomen una cum parochiali sigillo.

Accurate autem edoceatur de paroecia, de dioecesi, ac baptismi coniugum loco; ceteraque alia ser-

ventur quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

3. Quo securius sive testimonium de statu libero a parocho nupturientium habeatur, sive denuntiatio de secuto matrimonio ad parochum baptismi perveniat, parochi haec documenta petant vel transmittant per cancellariam Ordinarii loci.

4. Id autem perpendant parochi oportet, aliqua huiusmodi opificum emigrantium matrimonia quasi vagorum matrimonia habenda esse, quibus, iuxta can. 1032 *parochus assistere non debet nisi debitam licentiam ab Ordinario loci obtinuerit.* Quod si de vagis non agatur, tamen difficulter quoad alios emigrantes *abest dubium de existentia impedimenti,* ideoque, iuxta can. 1031 § 1 n. 3, parochus *eorum matrimonio adsistere nequit inconsulto Ordinario*; habito etiam prae oculis praescripto can. 1023 § 2. Hisce de causis haec Sacra Congregatio iubet et mandat ut parochi matrimoniis fidelium de quibus agitur in hac Instructione non assistant, excepto casu necessitatis seu potissimum periculo mortis, inconsulto Ordinario loci.

5. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis de quibus in n. 1, baptismi parochus in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit per cancellariam Ordinarii parocho contra fas attentati matrimonii.

6. Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, horumque violatores, si quos repererint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, si opus sit, canonicis sanctionibus.

SSmus Dominus noster Benedictus PP. XV in

audientia habita ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis die 26 iunii 1921 istam Instructionem approbavit et confirmavit eamque ab omnibus quibus spectat servari mandavit.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Sacramentis, die 4 iulii 1921.

M. Card. *Lega*, Praefectus.

L. † S.

† *A. Capotosti, Ep. Thermen*, Secretarius.

2. Decretum S. Congregationis de Sacramentis de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato instituendis, unacum regulis in hisce causis servandis, die 7 Maii 1923. Acta Apostolicae Sedis XV, 389 ss.

Fontes antiquiores: Instructio S. Congr. Concilii „Cum moneat glossa", die 22. Aug. 1840 (Acta S. Sedis I, 439 ss.), Instructiones S. Officii de annis 1858 (A. S. S. XXXI, 37 ss.) et 1890 (A. S. S. XXXI, 40 s.).

DECRETUM. — Catholica doctrina est „matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvi tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita" (C. I. C., can. 1119).

Ut autem Apostolica Sedes dispensationem largiatur, duo sibi constare necesse est: matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda.

Quamvis uni tantum Romano Pontifici competat dispensationem concedere, tamen pro indaganda et

comprobanda tum asserta matrimonii non consummatione, tum existentia legitimae causae dispensationis, solet Sancta Sedes locorum Ordinariis committere processus instructionem, unde factorum veritas tuto eruatur.

Inde duo consequuntur magni ponderis: primo quod huiusmodi causae, utpote quae non promoventur ab actione iudiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione Sanctae Sedis annuentis oratoris precibus, non sunt vere iudiciales, sed magis gratiosae seu administrativae; quae tamen cum eo spectent ut Summus Pontifex legitime uti valeat Sua suprema potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato cum plena rerum cognitione, in his veritas inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in negotiis proprie iudicialibus. Quare quae iudex decernit aut ordinat, vera iussa faciunt quibus parere necesse est; ac inobedientes fiunt contumaces.

Alterum dein consequitur, quod alte usque insidere debet in animo iudicum et testium ac praesertim partium dispensationem efflagitantium; videlicet, si res aliter se habeant ac ab oratoribus asseruntur, id est si matrimonium ratum reapse fuerit consummatum, et veritas in processu non detegatur, vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partium et testium, *pontificia dispensatio forte obtenta utpote suo fundamento destituta, nullius est valoris;* et matrimonio, quod dispensatum ducitur, in suo valore permanente, si partes vinculo matrimoniali se solutas existiment, et aliud matrimonium in facie Ecclesiae ineant, hoc revera est invalidum, proindeque putati coniuges filiique forte progeniti, graviorum malorum

vinculis pene inextricabilibus implicantur. *Hoc proinde est solemniter praemonendum a iudice antequam iusiurandum praestetur, et animo reputandum ab omnibus qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a partibus, a testibus, a peritis, respective, redduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes.*

Quo vero locorum Ordinarii in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant, sequentes regulae praestitutae sunt. Quas cum maturo examini E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales S. Congregationi *de disciplina Sacramentorum* praepositi subiecissent, in plenariis comitiis diei 27 aprilis c. a. easdem probarunt atque publici iuris fieri, si Ss.mo placuerit, rescripserunt. Ss.mus autem D. N. Pius Papa XI, in audientia die 7 maii 1923 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, sententiam E.morum Patrum adprobare et confirmare dignatus est, atque ut hae regulae ab omnibus ad quos spectat, rite et religiose serventur, easdem iussit edi in Commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis.*

REGULAE. — CAPUT I. *De foro competenti.*

1. Ad unam Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam (can. 249, § 3, et 1962).

2. Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit (can. 1963, § 1).

3. § 1. Si tamen iudex competens auctoritate

propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae, et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta una cum libello unius vel utriusque coniugis pro Apostolica dispensatione impetranda, ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam (can. 1963, § 2).

§ 2. Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae, habeantur non sufficientes iuxta normas heic positas, eaedem compleantur et acta dein plene instructa ad H. S. C. remittantur.

4. Pariter si in iudicio, in prima aut in altera instantia peragendo de matrimonii nullitate, ex alio capite (ex gr. ex defectu consensus, ex vi et metu, etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione tunc, integrum est alterutri vel utrique parti, libellum porrigere Romano Pontifici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at quin preces ad hanc Sacram Congregationem remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, fit potestas iudici vi huius praescriptionis seu ex delegatione a iure, causam instruendi iuxta regulas heic determinatas.

CAPUT II. *De supplici libello ad petendam dispensationem.*

5. § 1. Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato (can. 1973).

§ 2. Pro singulari natura huius processus, quem moderantur hae regulae, congruit ut coniux dispensationem efflagitans, non *actoris*, sed *oratoris* nomine nuncupetur; coniux vero ab altero coniuge in causam vocatus, proprie *pars conventa* appellabitur, nisi et ipse cum alio dispensationem petat.

6. § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus et ad Sacram Congregationem de Sacramentis transmittendus, contineat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere possunt (Constitut. *Dei misseratione*[1]), n. 15); appositis etiam die, mense et anno, seu data exhibiti libelli, nec non dioecesi in qua orator aut oratores commorantur.

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem ab ipsa parte, si fieri potest, scripto exaratam et subscriptam.

7. Quamvis cuilibet fideli integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

8. § 1. Ordinarius proprius est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo orator domicilium aut quasi-domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dummodo sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet (can. 1964).

§ 2. Licet tamen oratori recurrere ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, qui preces ac-

[1]) Constitutio Benedicti XIV, die 3. Novembris 1741 (Bullarium Benedicti XIV, ed. Pratensis. I, 103 ss.).

ceptare valet et commendare apud H. S. C., praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant.

9. § 1. Ordinarius, ut informationem addat cum factorum sufficienti cognitione, potest investigationes facere in res et personas, sed non propriam inquisitionem cum partium aut testium interrogationibus in forma processus iudicialis (cf. in Appendice, n. II).

§ 2. Si contingat dispensationem peti a parte acatholica, Ordinarius petitionem ad hanc Sacram Congregationem aeque remittat; additis tamen necessariis et opportunis explicationibus de petitionis fundamento, de oratoris qualitatibus personalibus, aliisque adiunctis ad rem facientibus.

10. § 1. Curet Ordinarius, cum factorum et personarum sufficientem notitiam habuerit, ut partes inter se reconcilientur, ne abrumpatur coniugale consortium, adhibitis prudentiae et pastoralis charitatis officiis et argumentis in casu magis opportunis; nisi rerum et personarum adiuncta huiusmodi experimentum prorsus inutile esse suadeant.

§ 2. Nedum Ordinarii ad hoc utiliter parochorum operam adhibeant, sed parochi ipsi cum huiusmodi discordiarum aut difficultatum vitae coniugalis notitiam habeant, prouti in singulis casibus prudentia suggesserit, opportune consilia praebeant et exhortationes, ne aditus aperiatur dissolutioni consortii coniugalis.

11. § 1. Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione iam inchoata, vel ex aliis investigationibus iuxta n. 9, constiterit, matrimonii consummationem coniuges omnimode devitasse ex detestabili onanismi vitio, tunc orator vel uterque coniux, si hi

concorditer dispensationem petant, sunt monendi, causam non posse institui vel ad ulteriora produci.

§ 2. Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alterius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti poenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huiusmodi nefando facinori nullimode operam esse daturum, tunc iudex rem deferat ad H. S. C.

12. Si, accepto libello, haec Sacra Congregatio censuerit precibus annuendum esse, solet Ordinario loci, qui oratorem commendavit, dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta has regulas et cum clausulis opportunis.

CAPUT III. *De tribunali constituendo.*

13. Ordinarius, facta sibi facultate a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum conficiendi processum super asserta matrimonii inconsummatione, curabit tribunal, cum primum poterit, constituere, ad id adhibendo ministros in sua Curia constitutos, vel alios etiam quoscumque maluerit, eligendo et assumendo, nisi aliud in rescripto delegationis cautum sit, dummodo isti iis praediti sint qualitatibus, quae a iure pro singulorum munere praescriptae sunt (can. 1607, § 1).

14. Ordinarius, quatenus utatur facultate subdelegandi, actum subdelegationis scripto redigat, facta mentione delegationis ab Apostolica Sede tributae cum addita potestate subdelegandi, expressis nominibus coniugum, de quorum matrimonio causa agitur,

et relatis instructionibus, si quae ab hac Sacra Congregatione datae fuerint.

15. Eodem vel altero actu, scriptis pariter confecto, Ordinarius deputet defensorem vinculi et actuarium, qui iis dotibus praediti sint quae in iure requiruntur (can. 1589, § 1); nisi extraordinarios ministros constituendos mandaverit ipsi subdelegato, qui, secus, uti debet ministris Curiae dioecesanae (can. 1607, § 2. Cf. in Appendice, n. V).

16. § 1. Ordinarius, etsi delegatus a Sede Apostolica ad causam instruendam, vel iudex subdelegatus eam non suscipiat, in qua, ratione consanguinitatis vel affinitatis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum vel procuratorem egerit, ad praescriptum can. 1613, § 1.

§ 2. Iisdem in adiunctis a suscipiendo munere abstinere debet defensor vinculi (Can. 1613, § 2).

17. § 1. Ordinarius qui ob legitimam suspicionis exceptionem causam instruendam non susceperit, debet vel iudicem subdelegare, si haec facultas ei competat, vel rem ad Sacram Congregationem remittere.

§ 2. Si exceptio suspicionis adversus iudicem subdelegatum proponatur, Ordinarius vel obiectam suspicionem definit, vel alium iudicem subdelegat, si hac potestate polleat, vel rem ad H. S. C. remittit (Can. 1614, § 1 et 2).

18. In ipsa tribunalis constitutione, vel in toto causae cursu, Ordinarius vel iudex, ad normam n. 15, alios viros aeque idoneos eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant prō casu quo primi

electi fuerint impediti, vel uti suspecti legitime habiti. Cum eorum opera in causae decursu occurrerit, de subrogatione secuta et de subrogationis motivo in actis mentio fiat; et opportunum erit ut hi cum dictione *substituti* subscribant aut denotentur in actorum textu.

19. Excepto Episcopo, quando per se iudicis instructoris munere fungitur, omnes qui tribunal constituunt, in prima sessione iusiurandum de officio rite ac fideliter implendo et de secreto servando praestare debent.

CAPUT IV. *De officio iudicis et tribunalis ministrorum.*

20. Iudicis est, postquam ei legitime commissa fuerit processus instructio, inquisitionem iudicialem instituere super asserta matrimonii inconsummatione, iuxta regulas heic traditas. Inquisitio versari debet circa omnia quae inconsummationem probant, vel impugnant, et circa causas legitimas dispensationis. Argumenta autem ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: *a*) utriusque coniugis iurata confessio; *b*) testes septimae manus ex utroque latere; nec non testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam partium, prouti res ferat; *c*) inspectio corporum per peritos facta; *d*) authentica documenta etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, itemque acta iudicialia in foro civili confecta, quatenus ad rem faciant; *e*) indicia et praesumptiones.

21. Iudex in primis moderator est actorum. Ipsius itaque erit; *a*) tribunal convocare et sessiones indicere; *b*) vinculi defensorem, partes et testes citare, ut in iudicium compareant; *c*) peritos medicos et ob-

stetrices, audito vinculi defensore, designare, si inspectio corporalis facienda sit; *d*) partes, testes et peritos, tum quaesita a vinculi defensore confecta, tum nova ex officio proposita adhibendo, interrogare; *e*) atque ea omnia statuere, quae eius prudentiae et sagacitati aptiora videbuntur ad factorum veritatem eruendam.

22. § 1. Petitiones partis oratricis aut partis conventae quibus instatur pro testium productione aut interrogatione aut alia probatione obtinenda, aut quocumque alio actu processuali conficiendo, iudex admittet aut reiiciet, audito defensore vinculi, suo decreto, in quo, si rei gravitas ferat, explicabit breviter rationes admissionis aut reiectionis (can. 1840, § 3).

§ 2. Pars, quae iudicis decreto se laesam sentiat, potest iudicem adire ut decretum revocet aut corrigat (can. 1841); at appellationi nullimode datur locus, salvo tamen recursu ad Ordinarium, nisi ipsemet sit iudex.

23. Si quando pars aut testes examinandi sint alienae dioecesis vel sint extra dioecesim degentes, et hi sine gravi incommodo ad tribunalis sedem, ubi causa instruitur, accedere nequeant, iudex Ordinarium illius dioecesis rogabit, ut, constituto tribunali, partem ac testes citet, examinet et ab eis documenta requirat, iuxta interrogationes a defensore vinculi, mandato iudicis instructoris, confectas et ab ipso iudice transmissas, additis instructionibus opportunis, si casus ferat (Can. 1570, § 2; 1770, § 2, n. 3). Ordinarius hac de re requisitus, servatis iuris praescriptionibus, acta, per se vel per alium confecta, ad iudicem remittat.

24. § 1. Pars vel testes, qui in dioecesi quidem

commorantur, sed in locis ob dioecesis vastitatem et asperitatem aut defectum viarum ita dissitis a tribunalis sede, ut sine magna temporis iactura et gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice instructore, defensore vinculi et actuario adiri possint, interrogari debent per parochum, si fieri potest, vel alias per sacerdotem dignum et idoneum, ad hoc a iudice instructore delegatum, qui ipsi parti vel testi propior sit (Can. 1770, § 2, n. 4).

§ 2. Huic cum litteris delegationis transmitti debent interrogationes faciendae, et instructiones ad rem opportunae. Delegati autem erit, pro facultate in litteris expresse facta, sibi adscire duos ministros, quorum unus defensoris vinculi munere fungatur, et hic sacerdos esse debet, et alter actuarii, qui et laicus esse potest, dummodo probatae fidei, ut examen huius partis vel testis legitime perficiatur et in actis redigatur.

§ 3. Sacerdos delegatus iusiurandum de officio rite et fideliter adimplendo ac de secreto servando coram actuario praestare debet, et defensor vinculi et actuarius coram delegato: et de hoc mentio fiat in actis.

§ 4. Si delegatus haud possit habere sacerdotem quem sibi adsciscat in munere defensoris vinculi, id notet in actis et ipse ex officio faciat interrogationes aut alia animadvertat: itemque si desit, in regionibus parum vel nullimode excultis, qui actuarii munus expleat, facta debita adnotatione in actis, ipse iudex actum exceptae attestationis, cum debitis notis redigat.

25. Iudex, ut aeque aestimari possit uniuscuiusque attestationis pondus, *de singulorum in iudicium vo-*

catorum aut vocandorum probitate et credibilitate nunquam inquirere praetermittat, et ad hoc curabit ut ab eorum parochis litterae testimoniales exhibeatutur, quae, si haberi non possint, erunt a Curia alia documenta perquirenda; et haec omnia sedulo in actis referantur (cf. in Appendice nn. XI—XIV).

26. Si acciderit partem conventam vel testem inductum a parte, vel ex officio vocatum, aut peritum in iudicium non venire, de non secuta comparitione in iudicium, et de causa saltem probabili non accessus, an ex gr. agatur de impossibilitate vel de inobedientia seu de contumacia, in actis mentio fiat. Et si de contumacia agatur, haec declaretur (can. 1843), et in actis apposita documenta referantur (cf. in Appendice, n. XXV). Si vero quis examini subiiciendus e vita migraverit, mortis documentum inter acta recenseatur, nisi aliter de eius morte satis constet.

27. § 1. In processu de matrimonii inconsummatione et de causis ad dispensationem super rato adductis, requiritur praesentia vinculi defensoris; eoque non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (can. 1587, § 1).

§ 2. Si legitime citatus aliquibus actis non interfuerit, acta quidem valent, verum postea eius examini subiicienda omnino sunt, ut ea omnia, sive voce sive scriptis, possit animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverit (can. 1587, § 2).

28. Defensoris vinculi officium est: *a*) examini partium, testium et peritorum adesse; *b*) exhibere iudici interrogaoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus, testibus aut peritis proponenda; *c*) novas interrogationes ab exa-

mine emergentes iudici suggerere; *d*) articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; *e*) documenta a partibus exhibita recognoscere; *f*) animadversiones pro adstruenda matrimonii consummatione scribere et allegare; *g*) eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit (can. 1968).

29. Defensoris vinculi ius esto; *a*) semper et quolibet causae momento acta processus invisere; *b*) novos terminos ad acta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; *c*) de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit; *d*) petere ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et clauso, novasque animadversiones edere; *e*) exigere ut alia acta quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi iudex dissentiat; quo in casu, si iudex non sit ipsemet Ordinarius, ad hunc recurrere fas est vinculi defensori (can. 1969).

30. Actuarii, qui notarii seu cancellarii in processu partes explet, praecipuum munus erit legitime actis conficiendis intendere, acta fideliter custodire ne cuipiam extraneo pateant, transumpta conficere et de eorum authenticitate testari.

31. Tam iudex instructor quam defensor vinculi curent ut pars vel testis vel peritus interrogationi ipsi delatae respondeat quoad omnes partes in quas dividitur. Si quandoque parti aut testi aut perito difficile sit memoria totam interrogationem retinere, ei per partes illa proponatur, quo facilior responsio et plenior evadat.

32. Fas erit iudici, audito vinculi defensore, actuario assignare adiutorem, qui eum coadiuvet in

scriptione actorum et in transumptis conficiendis. Is, sicuti ceteri ministri tribunalis, ex momento quo assumitur, iusiurandum praestet de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

CAPUT V. *De initio processus et de citationibus faciendis.*

33. § 1. Si omnia expleri non possunt unica sessione, processus in sessiones dividitur; videlicet, quoties tribunal a iudice legitime convocatur ad processus acta explenda, sessio habetur.

§ 2. De decreto iudicis quo sessio clauditur et alia vel tunc indicitur vel erit opportuno tempore indicenda, nisi instructio causae sit absoluta, mentio in actis facienda est.

34. § 1. In prima sessione tribunal coadunatur et etiam completur si aliqui desint administri. Siquidem in ea iudex communicat: *a*) litteras Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, quibus processus instructio Ordinario committitur; *b*) *litteras* Ordinarii, nisi ipse per se praesit, quibus iudicis officium subdelegat; *c*) deputationem defensoris vinculi et actuarii iam ab Ordinario peractam, vel ab ipso iudice, vi specialis delegationis vel iam factam, vel in hac sessione faciendam; *d*) electionem officialium substitutorum; *e*) supplicem libellum oratoris inquisitionis introductorium; *f*) denique praestandum est iusiurandum, ad tramitem n. 19 (cf. in Appendice, nn. VI—IX).

§ 2. Ista propria sunt primae sessionis, in qua tamen et alia expleri possunt acta, vel ipsa instructio absolvi, si ita res patiatur: quod non contingere solet; quare in reliquis habetur conventus personarum tribunal constituentium ad certa processus acta conficien-

da. Conventus autem habetur die et loco determinatis in superiore proxima sessione; nisi iudex maluerit statuere ut sessio habeatur die et loco dein determinandis et indicendis.

35. Aliquot diebus antequam tribunal congregetur, iudex citat eum qui examini est subiiciendus, itemque defensorem vinculi et actuarium, nisi hi iam in superiore sessione invitationem exceperint, ut in n. 34, § 2 (cf. in Appendice, nn. X et XXII).

36. Citatio parti et testi fit per litteras in modum invitationis, tamen praeceptive; quae litterae contineant: *a*) praeceptum iudicis ad comparendum; *b*) nomen, cognomen et domicilium illius qui in ius vocatur; *c*) iudicem coram quo comparere iubetur; *d*) locum et horam audientiae; *e*) causam, ob quam convenitur, satis significatam, seu saltem generalibus verbis indicatam (can. 1715, § 1); *f*) iudicis et actuarii subscriptionem et tribunalis sigillum (cf. in Appendice, n. XV).

37. Citatio clausa Curiae cursori, ne evulgationi ansa praebeatur, tradetur; et per eundem cursorem erit private et personaliter intimanda. Altera citationis scheda asservatur in actis (can. 1716). Si ob distantiam vel aliam causam, per cursorem fieri non possit intimatio, scheda citationis, iussu iudicis, transmitti poterit per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui, secundum locorum leges et conditiones, tutissimus sit (can. 1719). Cursor, si per se intimationem peregerit, de ea in scriptis, ad calcem schedae in actis asservatae, manu propria subsignatis, ad iudicem referat (cf. in Appendice, n. XVI); si vero intimatio facta

fuerit per publicum tabellariorum officium, in actis adservetur fides eiusdem officii.

38. § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi commoretur pars conventa aut etiam testis, si rei gravitas postulet, locus est citationi per edictum. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum, et in aliqua publica ephemeride eam inserendo. Si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet (can. 1720) (cf. in Appendice, n. XXIII).

§ 2. Si citatus praecepto comparendi obtemperare renuerit, videat iudex an renovanda sit citatio (can. 1843, § 2), vel aliis modis magis opportunis et efficacibus uti expediat, ut foret interventus personae amicae vel auctoritate gravis. A remediis coërcitivis, ut flectatur contumacia, abstinere ut plurimum prudens erit.

§ 3. Iudex videat etiam an partis vel testis non comparitio seu contumacia, per alios testes, de re circa quam illi interrogati fuissent, edoctos, suppleri possit.

CAPUT VI. *De iureiurando a partibus, testibus et peritis praestando, et de interrogationibus iisdem faciendis.*

39. Iudex, antequam cuipiam in ius vocato interrogationes deferat, exquirat iusiurandum de veritate dicenda, tacto s. Evangeliorum libro (cf. in Appendice, nn. XVIII et XXIX). Si citatus suas attestationes sub iureiurando reddere renuat, et iudex instructor censeat eius attestationes esse utiles ad veritatem detegendam, potest eas excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione eiusque causa.

40. Iudex partem, testem aut peritum ad iusiu-

randum recipiens, eum, prouti casus ferat, commonefaciat de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotando peculiarem gravitatem iurisiurandi in subiecta materia et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in *Decreto* adnotantur; item, si pro qualitate personarum opportunum hoc videatur, moneat de poenis quibus obnoxii fiunt in foro Ecclesiae qui falsum in iudicio iurati affirmant.

Poenae contra iurisiurandi violatores sunt: 1° interdictum personale, si periurus sit laicus; 2° suspensio, si clericus (can. 1743, § 3).

Has tamen poenas iudex ne ferat inconsulto Ordinario.

41. Examen faciendum est a iudice, cui adsistant oportet defensor vinculi et notarius ceu actuarius. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice, vel ab eo qui eius locum tenet, faciendae sunt. Quapropter si a defensore vinculi novae interrogationes testi faciendae sint, has non testi, sed iudici, vel eius vicem gerenti, proponere debet, ut eas ipse deferat (can. 1773, §§ 1—2).

42. Interrogationes proponendae dividuntur in *generales et particulares:* priores ordinantur ad exquirendum de generalibus personae adiunctis, hoc est de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio et necessitudine cum partibus in causa; hae semper et omnibus indistincte sunt deferendae, nisi iudex existimet unam vel alteram esse in casu particulari omittendam. Posteriores ordinantur ad veritatem eruendam circa factum inconsummationis et causas dispensandi. Praeterea a teste semper ex-

quirenda est scientiae causa, nempe unde, quando et quomodo ea quae asserit, habeat cognita (can. 1774).

43. § 1. Interrogationes sint breves, non suggestivae, non plura complectentes, pertinentes ad causam de qua agitur, testis intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae (can. 1775).

§ 2. Partes et testes et periti oretenus responsiones reddant. Non praemoneantur de interrogationibus faciendis, nec eis permittatur depositionem legere, nisi in aliquo casu particulari iudex opportunum censeat sinere ut pars interrogata aliquod grave documentum legat, quod eius dicta comprobare vel eius memoriam adiuvare valeat (can. 1776—1777).

44. § 1. Partis, testis et periti responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam quod attinet ad editi testimonii verba (can. 1778).

§ 2. Si verba referri non possunt, vel quia nimis praecipitanter prolata, vel quia impropria et inter se non logice connexa, iudex dictabit responsionem in actis redigendam.

§ 3. Actuarius interrogationes iam in scriptis exaratas non referet; sed responsiones ex ordine designabit eodem numero quo notantur relativa interrogatoria; interrogationes vero *ex officio* additas ad verbum referet.

45. Actuarius in actis accurate singulis vicibus adnotet iurisiurandi praestationem, et generaliter omnia memoria digna, quae forte acciderint cum examina explentur (can. 1779).

46. Parti et testi et perito antequam ab auditorio discedant, debent legi quae actuarius de iis quae viva

voce quisque testatus est, scripto redegit, data eidem parti et testi et perito facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Cum autem is responderit se nihil amplius habere quod dicat aut mutet, iterum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando emittat (cf. in Appendice, n. XX), et deinde depositioni subscribere iubeatur, et post eum subscribant iudex, defensor vinculi et actuarius (can. 1780, §§ 1—2).

47. § 1. Pars oratrix aut conventa poterit iterum ad examen vocari vel al instantiam partis aut defensoris vinculi, vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore; et partes etiam poterunt inter se *conferri* (vulgo *confrontare*), si expediat et omne rixae aut scandali sit remotum periculum.

§ 2. Item testes et periti poterunt, partibus aut defensore vinculi id postulantibus, vel id statuente iudice *ex officio*, et audito vinculi defensore, denuo ad examen vocari, et circa iam attestata, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes, interrogari (can. 1772, §§ 2—3).

§ 3. Quoties id expostuletur a partibus, iudicis est suo decreto, audito vinculi defensore, eiusmodi postulationem reiicere vel admittere, cauto, si admittat, quod potissimum omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (can. 1781).

§ 4. Cum pars vel testis vel peritus novo examini submittitur, eadem serventur, congrua congruis referendo, quae de partium et testium examine infra edicuntur n. 68, § 2, et 69.

48. In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redacta de iis quae fiunt aut decernuntur in sessioni-

bus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum a partibus, testibus et peritis praestandum, interrogationes et responsiones, nec non relationes et vota peritorum, lingua vernacula exprimi possunt.

49. Documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non sint, latine reddantur ad verbum. Item acta quae lingua latina, italica aut gallica redacta non sint, in unam ex iis linguis authentice vertantur. Si ad versionem faciendam interpres foret adhibendus, is a iudice, audito vinculi defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando (cf. in Appendice, n. XXI).

CAPUT VII. *De examine partium.*

50. § 1. Primo ille coniux audiatur, qui supplicem libellum porrexit et est veluti actor in causa. Iudex eidem, praemisso iureiurando, interrogationes deferat a defensore vinculi concinnatas et clausas sibi traditas. Alias addat *ex officio,* si necessarium aut utile putaverit ad veritatem accuratius exponendam: in interrogationibus conficiendis et proponendis, subiecta in Appendice specimina inspiciantur.

§ 2. Si uterque coniux dispensationem efflagitet, opportunum, ut plurimum, est uxorem antea examini subiicere, et in examine erunt praecipue diligenter perquirendae rationes ob quas ambo coniuges in dispensatione efflagitanda consentiunt et concordant.

§ 3. Quia his in adiunctis maxime pertimescenda est collusio, veritas sedulo perquirenda erit per testes *ex officio* inducendos.

51. Uxori, oratrici vel conventae, post interrogationes generales, interrogationes speciales, prudenter pro adiunctis variandae, deferantur (cf. in Appendice, sub n. XIX).

52. Item viro, oratori vel convento, eaedem interrogationes proponi poterunt, quibus aliae pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiiciendae erunt (cf. in Appendice, sub n. XXIV).

53. Cum uxor virum de impotentia, sive absoluta sive relativa, insimulet, tunc a viro expetatur ut sese submittat corporali inspectioni, ad normam ss. canonum et harum regularum, n. 84.

54. Nisi certo aliunde constet, nunquam praetermittenda est interrogatio parti facienda, ut referat quando et a quo didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi.

55. § 1. Parti quae secundo loco interrogatur, si eius responsiones in pluribus et notabiliter discrepent a responsionibus alterius coniugis, erunt a iudice novae *ex officio*, vel ad instantiam defensoris vinculi, proponendae interrogationes, ad difficultatem et dubitationem diluendam, facta vel minus mentione coniugis contradicentis, prouti casus ferat et prudentia suggerat.

§ 2. Quoties rei gravitas postulet, iudicis est, audito vinculi defensore, *ex officio* vel instante altero coniuge aut vinculi defensore, partem ad novum examen vocare ad praescriptum n. 47, in quo novae interrogationes seu contestationes proponentur.

§ 3. Si responsiones in novo examine exceptae rem non undequaque expediant, sed viam videantur

aperire ulteriori veritatis investigationi, altera parte quae primo loco fuit interrogata iterum ad examen vocata, eidem in contestatione ponantur responsiones ab adverso coniuge redditae, non exclusa collatione partium inter se et firmo praescripto n. 47.

56. § 1. Iudex nunquam omittat interrogare partes circa existentiam causae ad impetrandam dispensationem invocatae.

§ 2. Huiusmodi interrogationem iudex etiam faciat testibus, qui de re edocti verosimiliter praesumantur.

57. § 1. Antequam finiatur examen et praestentur quae statuuntur n. 46, iudex a parte petat ut producat testes septimae manus; et alios etiam, si quos habeat, de petitae dispensationis obiecto instructos.

§ 2. Sedulo quaerendum est a parte, quoties alter coniux sit contumax, ut indicare velit testes qui cum sint de istius familia aut vicinia aut eius res domesticas cognoscant, probabiliter utile testimonium praestare valeant.

CAPUT VIII. *De testium productione et aliis probationibus ad rem facientibus.*

58. In his causis, debet uterque coniux testes, qui *septimae manus* audiunt, inducere, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem deductam in controversiam (can. 1975, § 1).

59. Testimonium septimae manus, ut ipsa denominatio innuit, septem testibus ex utraque parte inductis, hoc est septem ab una et septem ab altera, constare debet. Quod si tot testes haberi nequeant,

sufficere poterunt pauciores; ratio tamen in actis referenda est, cur septenarius numerus haberi non potuerit.

60. § 1. Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis, quod robur addit depositionibus coniugum, sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (can. 1975, § 2).

§ 2. Testes septimae manus, quatenus sunt de credibilitate, eo maiorem sibi conciliant fidem, quo potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia*, et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex coniugibus aut ex proximioribus parentibus, tempore non suspecto (ut infra, n. 70), didicisse matrimonium mansisse inconsummatum.

61. Testibus septimae manus iudex alios testes *ex officio* adiungere potest, imo debet, quando scilicet testes septimae manus vel a parte non inducantur, vel tres tantum aut quatuor inducantur, vel ad rei veritatem illustrandam, etsi septem vel plures ab utraque parte producantur, insufficientes sint.

62. Inductio testium *ex officio* non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur, alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valent.

63. § 1. Si partes, aut earum altera, petant sibi pandi nomina testium ab adversa parte aut *ex officio* productorum, iudex, audito vinculi defensore, excluso quovis periculo corruptionis aut collusionis, et nisi aliquod obstet impedimentum, id indulgere valet suo decreto, quod in actis referri debet.

§ 2. Iudicis tamen est differre, prouti casus ferat, nominum publicationem, postquam testes suam reddiderint attestationem.

64. § 1. Argumentum ex corporis mulieris inspectione deductum, per se, semper requiritur, nisi ex adiunctis inutile evidenter appareat (can. 1976; cf. infra, sub n. 85), vel aliunde haberi non possit, prouti si mulier sit vidua aut corrupta.

§ 2. Quod si pars, non obstante iudicis decreto, absolute renuat inspectioni se subiicere, ex adiunctis aestimandum erit cuinam causae attribuenda sit haec recusatio; et utrum huius probationis defectui suppleri debeat per alia argumenta seu probationes.

65. Praeter argumentum physicum, quod natum est complere probationem per partium confessionem et per testes septimae manus aliosque testes exhibitam, adsunt quoque argumenta et adminicula; et argumentis accensemus documenta; adminiculis, indicia et praesumptiones.

CAPUT IX. *De examine testium septimae manus.*

66. Inchoatur horum testium examen ab iis qui inducti sunt a parte oratrice, et quidem a parentibus proximioribus, qui praesumuntur magis instructi, postea audiantur extranei, uti famuli et viciniores, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est judici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuerit, servetur n. 26; si vero eo, ubi tribunal adunatur, se conferre non possit, audiatur iuxta normas nn. 23 et 24.

67. In his testibus examinandis iudex, delato iureiurando et factis interrogationibus generalibus,

testi proponat interrogationes sibi a vinculi defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in Appendice, specimine n. XXVII.

68. § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae a coniuge qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integram depositionem legere, vel quia ea refert quae verosimiliter coniux non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, ex parte legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositas, interrogationes *ex officio*, vel curandi ut a defensore vinculi opportunae contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 47.

69. Expleto examine, legitur testi integra depositio, rogatur an menti suae plene respondeat, et, vel habito responso affirmante vel factis expetitis emendationibus aut additamentis et praestito duplici iureiurando, iuxta n. 46, subscribit ipse, et cum eo subscribunt iudex, defensor vinculi et actuarius.

70. In his testibus excutiendis, maxime curandum est, ut si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur *unde, quomodo, quando* haec didicerint, ut pateat an tempore non suspecto ea cognita habuerint (can. 1774). Causam enim valde iuvant partium confessiones extraiudiciales tempore non suspecto prolatae; eo nempe tempore, quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

CAPUT X. *De testibus, praeter alios septimae manus, ad instantiam partium, vel ex officio a iudice inducendis.*

71. § 1. Cum proprium sit testimonii septimae manus ut sit argumentum credibilitatis (can. 1975, § 2), quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore, aut hoc instante; vel ad instantiam partium.

72. Quoties prudenter timeatur collusio inter partes, aut inter testes septimae manus et partem producentem, vel ipsum testimonium septimae manus insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde veritas evincatur, citandi sunt testes *ex officio*.

73. Quod si argumentum physicum impotentiam neque probet neque excludat, aut physicam mulieris integritatem non adesse arguat, sed non excludat laesiones potuisse aliunde oriri quam ex naturali matrimonii usu, tunc expendat iudex an sit locus complemento probationum aut per testes aut per alia argumenta.

74. Interrogationes his non minus ac aliis testibus faciendae, sunt a defensore vinculi concinnandae, ac iudici exhibendae modo et ratione supra determinatis; iudici autem fas est, alias interrogationes ex officio proponere.

CAPUT XI. *De instrumentis.*

75. Redditas attestationes magis explicant, quatenus res ferat, et corroborant instrumenta. Haec, alia sunt *publica* et alia *privata*. In his causis inter instrumenta publica potissimum habetur fides authen-

tica celebrati matrimonii, e paroeciae regestis deprompta, quoties haec in causae instructione requiratur. His accensentur acta et sententiae tribunalis civilis, si apud illud de controverso matrimonio aliqua causa pertractata fuerit. Documenta privata communiter sunt epistolae a coniugibus inter se vel ad alios datae, et scriptae attestationes in favorem unius vel alterius partis exaratae.

76. Utriusque generis documenta aliquando partes sponte exhibent, sed aliquando iudicis erit ex auctoritate sua perquirere, et de iis partes vel testes in examine interrogare. Si pars aut testis documentum exhibere recuset, iudex, audito vinculi defensore, vel eo postulante, decreto suo statuat an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit (can. 1824).

77. § 1. Documenta quaequmque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem, perinde ac attestatio seu confessio extraiudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolata fuerunt, ad normam n. 70.

78. Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris vinculi aut partium, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

CAPUT XII. *De indiciis et praesumptionibus.*

79. § 1. Matrimonium non praesumitur mansisse inconsummatum; quare in singulis casibus allegata causa inconsummationis sedulo investiganda est.

§ 2. Factum vero cohabitationis coniugum *praesumptionem iuris* constituit de secuta consummatione (can. 1015, § 2).

80. Matrimonii inconsummatio ex sequentibus causis impedientibus, ut plurimum, procedere solet:

a) ex defectu veri consensus in matrimonium;

b) ex vi et metu;

c) ex aversione et odio in ipso vitae coniugalis initio exortis inter sponsos;

d) ex impotentia sive absoluta sive relativa.

81. Externa vitae coniugalis ratio et circumstantiae, ex quibus ad causam inconsummationis adstruendam argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesumptionibus* appellatur. Indicia et praesumptiones sunt *levia, gravia* et *gravissima,* pro minore vel maiore cum inconsummationis causa necessitudine.

82. Facta vero et circumstantiae, quae unam vel alteram ex causis n. 80 recensitis indicant, praesumptionem faciunt in favorem inconsummationis.

83. Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae inconsummatio tribuenda sit. Res est magni momenti, cui omni cura adlaborandum est; facta enim et circumstantiae quae unam alteramve ex praefatis causis indicant et determinant, probationes iam aliunde collectas valde corroborant.

CAPUT XIII. *De inspectione corporali.*

84. § 1. In causis inconsummationis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, uti infra exponetur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat; quo in casu processus ad exitum erit per-

ducendus ex morali argumento, adminiculis suffulto, seu aliis probationibus ad normam n. 64.

§ 2. Viri corporalis inspectio quae, ut plurimum, valde confert ad tuto adstruendum factum inconsummationis, non est praetermittenda cum inconsummatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio.

§ 3. Hisce in casibus si vir renuat se inspectioni subiicere, probabiles rationes huius recusationis sunt in actis referendae, et suppletoriae probationes, si haberi possint, erunt comparandae.

85. In casu dubii de corporali inspectione facienda aut omittenda, decisio spectat ad iudicem, audito vinculi defensore, salvo iure defensoris vinculi se opponendi decreto, ad tramitem nn. 22 et 28.

86. Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus:

a) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi;

b) si certo iam constet de mulieris defloratione (can. 1976).

87. Iudicis est peritos, medicos aut obstetrices eligere vel designare, audito vinculi defensore (cf. in Appendice, n. XXVIII). Ii prae ceteris eligantur, qui non tantum idoneitatis testimonium a competenti magistratu obtinuerunt, sed etiam qui artis suae experientia insignes habentur, et honestatis ac religionis fama praefulgent. Qui non habiles ad testimonium ferendum sunt iuxta can. 1757, nec ad periti munus exercendum assumi possunt. Item nec assumantur, qui

in adiunctis versantur in can. 1613 § 1, adnotatis, si nempe ob consanguinitatem vel affinitatem cum partibus, aut propter amoris vel odii sensus erga partes easdem, aut etiam ob commodum vel incommodum sibi obveniens ex causae decisione, suspicio de eorum probitate in iudicio vel voto ferendo oriri possit.

88. Ad periti munus exercendum etiam illi ne admittantur, qui coniuges private inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis inconsummationis. Licet tamen et congruit hos tanquam testes inducere (can. 1978), nunquam tamen praetermittatur, quatenus fieri possit, eorum scriptas attestationes refere inter instrumenta.

89. § 1. Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant debitaque in arte sua experientia polleant, *ex officio* designentur. Integrum est tamen mulieri inspiciendae expetere ut loco obstetricum a duobus medicis, pariter ex officio designandis, inspiciatur; quod et Ordinarius, si necessarium duxerit, decernere potest, audito vinculi defensore, praecipue ob aliquod dubium fraudis, scilicet quod praesidia artis adhibita sint ad reparandas partium laesiones (can. 1979, §§ 1, 2).

§ 2. Quod si, ob singulares locorum circumstantias, impossibile vel valde difficile aliquando fuerit, ut duae peritae obstetrices aut duo medici reperiantur, tolerari poterit ut inspectio fiat ab uno perito et ab una obstetrice (cfr. *Instr. S. C. S. O.*, a. 1883 [1]), *Quemadmodum matrimonii foedus,* tit. VI, art. 5 n. 49). Si, ob easdem circumstantias, neque hoc obtineri valeat, tolerari etiam poterit ut inspectio fiat a duabus

[1]) Acta Sanctae Sedis XVIII, 344 ss.

matronis seu mulieribus nuptis, moribus et aetate gravibus, et ad rem idoneis. Quoties peritia a duabus matronis, uti supra, peracta fuerit, curandum erit ut earum relationes examinandae subiiciantur uni vel duobus in arte peritis, ibidem vel alibi commorantibus, ut suum proferant votum circa conclusiones ex matronarum relationibus deducendas.

90. In inspectione mulieris, sive ea a peritis medicis, sive ab obstetricibus fiat, sequentia observanda sunt:

a) plene serventur christianae modestiae regulae;

b) adstet semper honesta matrona *ex officio* designanda;

c) inspectionem exsequantur seorsim singuli, vel singulae;

d) in exploratione honesta quidem methodus et cautelae adhibeantur, prout scientia ac prudentia opportune suggesserit; et de iis quae adhibita sint, mentio in relationibus fiat;

e) pariter singuli vel singulae seorsim conficiant relationes intra terminum a iudice praefinitum tradendas;

f) relationes sive a medicis sive ab obstetricibus confectas, iudex alterius medici examini subiicere potest, si id opportunum existimaverit (can. 1979—1980).

91. In matronam eligatur mulier aetate gravis, religione et honestate spectabilis, corruptioni et deceptioni non facile obnoxia, quae, praestito iureiurando, officii sui partes eiusque gravitatem intelligat ac de eo rite functo, coram tribunali relationem reddere valeat (cf. in Appendice sub n. XXIX).

92. Ratio exsequendae inspectionis haec erit:

Iudex locum designat, in quo ea est peragenda, et mandabit quod mulier prius balneo subiiciatur, servatis suetis conditionibus aquae tepentis, et temporis, quod non brevius dimidia hora esse debet. Quod si designati periti, medici vel obstetrices, censeant in casu balneum vel omnino esse inutile, vel potius nocivum, iudex, perpensis adiunctis, rem definiat, audito defensore vinculi, prout in casu magis expedire iudicaverit.

Periti autem expleant suum examen, ut distincte referre valeant de singulis signis quae mulieris integritatem inferre sinunt, vel potius eidem refragantur; in id etiam caute advertentes, ne apparens integritas callide, medicinalis artis ope, fingi potuerit.

93. § 1. Periti, medici aut obstetrices, suam seorsim scriptam relationem peragant (cf. n. 90, *e*) circa conclusiones ex inspectione deductas, et postea erunt singuli a iudice interrogandi, iuxta interrogationes seu articulos a defensore vinculi antea concinnatos, iisque ipsi, praestito iureiurando, respondeant; et examen absolvatur servato praescripto n. 46. Vinculi autem defensor peculiares articulos et interrogationes praesertim eruat ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis (can. 1981, cf. in Appendice, nn. XXX et XXXII). Periti vero perspicue indicare debent qua via et ratione processerint in peragenda inspectione, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur (can. 1801, § 3).

§ 2. Quod si periti discordent sive quoad ea quae perlustrando repererint, sive in conclusione finali, iudex poterit relationem unius periti submittere iudicio

alterius, ut explicet ex quo repetenda sit contradictio; et, si casus ferat, etiam permittere poterit ut inspectio fiat collegialiter, et votum collegiale habeatur, sed deinde seorsim periti interrogentur (cf. can. 2031, n. 5); nisi idem iudex peritiorem eligere magis expedire iudicaverit, qui super relatis a primis peritis suffragium proferat, facta ei quoque, si casus ferat, potestate inspectionem denuo peragendi; aut novos de integro peritos adhibere (cf. can. 1802 et 1803).

94. Postremum in iudicio vocanda erit matrona, quae inspectioni adstitit, et, delato iureiurando, ad rem interrogetur (cf. in Appendice n. XXXI).

95. Ad inspiciendum virum, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (can. 1979, § 1); qui, praestito iureiurando de munere fideliter implendo et de secreto servando (cf. in Appendice n. XXIX) monendi erunt, ut artis praesidiis utantur licitis et honestis, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur.

CAPUT XIV. *De processus conclusione.*

96. § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius vinculi defensor declaraverit sibi nihil inquirendum superesse, et etiam ad hoc auditis partibus.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente consideret, partium ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam incompleta et contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repererit, audito vinculi defensore, partes aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, appositis interrogationibus, quae vel supplenda vel declaranda

sunt exquirat, aut etiam per testes ex offico inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat vinculi defensor, actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius complenda ad normam harum regularum (cf. in Appendice n. XXXIII).

97. § 1. Clausa processus instructione, iudex neque ad ipsius processus publicationem, neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat (can. 1985).

§ 2. Nihilominus si partes aut harum altera, post conclusionem, petant sibi ostendi vel testium nomina aut eorum responsiones vel aliquod documentum, idque postulent gravi de causa, iudex, audito defensore vinculi, necnon parte cuius intersit, si casus ferat, hoc indulgere valet, intra limites tamen probatae necessitatis, et excluso quovis periculo collusionis et corruptionis; de publicatinoe autem processus aut alicuius partis expressa mentio in actis facienda erit.

98. § 1. Clauso processu, vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debeat, in primis animadvertens an regulae hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde acta omnia una cum voto scripto Episcopi (can. 1985), vel, sede vacante, Vicarii capitularis vel Administratoris apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices facientis (can. 429 et 431), et defensoris vinculi, transmittantur ad H. S. Congregationem.

99. Praesentes regulae in instruendis processibus de non consummatione semper erunt adamussim observandae, et si aliquando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, iudex de huius rei motivo rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

100. Harum regularum observantia Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsis propterea integrum est, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, audito vinculi defensore, removere. Si quando his remediis fuerit locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

101. § 1. Acta iudicialia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cf. can. 1642), transmittantur ad H. S. C. in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§ 2. Quod si valde grave fuerit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad S. C. transmittere, fas sit Curiae transmittere ipsa acta originalia, iis tamen cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

CAPUT XV. *De rescripto pontificiae dispensationis eiusque expeditione.*

102. Dispensatio super matrimonio rato et non consummato a Romano Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, ab E.mo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, vel ab alio E.mo Cardinali

eius vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem S. C. subsignatum.

103. Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audientiae Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii iuconsummationem, tum quoad dispensationis causas (can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

104. In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente.

105. Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetranti idemque postulanti traditur, aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (can. 51); verum ex officio ipsa Sacra Congregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

106. Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prouti casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

L. † S. M. Card. *Lega*, Praefectus.

† *A. Capotosti, Ep. Thermen.*, Secretarius.

Sequitur in originali Appendix praecipuorum actorum formulas continens, qui hic omittitur.

IX.

De catechetica institutione.

1. Motus proprius Pii XI. de erigendo apud S. Congregationem Concilii peculiari Officio ad universam in Ecclesia actionem catechisticam moderandam et provehendam, die 29. Junii 1923. Acta Apostolicae Sedis XV, 327 ss.

Fontes antiquiores: Literae encyclicae Pii X. „Acerbo nimis", die 15. Aprilis 1905, in: Acta Sanctae Sedis XXXVII, 613 ss. Literae circulares Emi Praefecti S. Congr. Concilii ad Ordinarios Italiae, quibus interrogat, num praescriptionibus de religiosa institutione obtemperetur, die 31. Maii 1920, in: Acta Apostolicae Sedis XII, 299 ss. — Scriptor: Nicolaus Hilling, Die Verwaltung des kirchlichen Lehramts (Predigt und Katechese). [Quellensammlung für das geltende Kirchenrecht, 8. Heft.] 1916.

Orbem catholicum Encyclicis Litteris cum primum alloqueremur [1]), omnium malorum, quibus humana societas laboraret, unum remedium admonuimus illud fore, si pax Christi in regno Christi quaereretur: addidimusque huiusmodi regnum in terris non aliter constabiliri, nisi Ecclesiae labore et industria, dantis operam hominibus educandis. Id autem tum maxime facit Ecclesia, cum pro suorum sapientia institutorum et legum pueris adultisque doctrinam religionis impertit. Quapropter decessor Noster desideratissimus, Benedictus XV per litteras a Sacra Congregatione Concilii datas [2]) sacrorum Antistites ex Italia interrogavit, num variis de religiosa populi institutione praescriptionibus obtemperaretur; ad quae illi inter-

[1]) Literae encyclicae „Ubi arcano", die 23. Dec. 1922, in: A. A. S. XIV, 673 ss.

[2]) Acta Apostolicae Sedis XII (1920), 299.

rogata, pro sua quisque diligentia et studio, responderunt.

Iam vero quod vigilantissimus Pontifex peropportune inchoaverat, Nos, hanc quoque tamquam hereditatem ab ipso traditam volenti animo recipientes, omnino perficere decrevimus. Eius rei gratia, atque etiam ut huius incepti beneficam virtutem ad cunctas gentes extendamus, placet admodum inire rationem, cum cogitationes ac studia bonorum omnium ad causam saluti communi tam coniunctam revocandi, tum praecipue sacrorum Pastorum toto orbe operam diligentiamque adiuvandi roborandique in re, qua nihil sane pluris interesse potest, idque instituendo apud Romanam Curiam proprium quoddam Officium, quod dicitur, cuius ope Nos eam quam huic tantae rei debemus summam vigilantiam et curam in Ecclesia universa, melius ac facilius praestare possimus.

Itaque *motu proprio* ac de Apostolicae potestatis plenitudine Nos apud Sacram Congregationem Concilii peculiare Officium instituimus et per has Litteras institutum declaramus, quo velut instrumento utatur Apostolica Sedes ad urgendam toto orbe terrarum obtemperationem suis legibus de populo christianae doctrinae praeceptis erudiendo: cuius Officii sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere.

Equidem confidimus salutares inde perceptum iri fructus, maxime si ad Apostolicae Sedis auctoritatem ea prompta et alacris Episcoporum ceterique cleri bonorumque laicorum, quam dare solent, opera, quod non dubitamus, accesserit. Sed tamen sinant, quotquot sunt ex utroque sexu consociationes sodalitatesque

catholicorum, se a Nobis rogari, ut vel statas de catechismo conciones in sua quaeque paroecia ipsae in exemplum frequentando, vel clero parochiali adiutores ministrando, melius in dies de Ecclesia mereri velint in hoc quidem genere, quo nullum homini catholico nec sanctius nec magis necessarium esse videatur.

Atque eo etiam vehementius rogamus devotas Deo ex utroque sexu familias, ut non modo singulos singularum dioecesium suarum Antistites hac ipsa in re adiuvent, sed etiam curent in suis collegiis alumnos gradatim sic catechismo instruendos ut, cum plenius sapientiusque, quam solent, christianam doctrinam perceperint, et suam fidem contra ea quae obiici vulgo consueverunt, possint defendere et eandem aliis quam plurimis vel inculcare vel suadere nitantur.

Illud etiam magnopere cupimus in praecipuis quibusque sedibus religiosarum sodalitatum quae iuventuti instituendae sunt deditae, ibi, praesidibus, ducibusque Episcopis, scholas aperiri delectis ex utroque sexu adolescentibus, qui accommodato studiorum curriculo formentur iidemque, facto periculo scientiae suae, rite renuntientur habiles ad magisterium doctrinae christianae historiaeque sacrae et ecclesiasticae obtinendum. Qui igitur quaeque religiosis domibus praesunt, curae sibi habeant e suis sodalibus deligere quos vel eiusmodi scholas velint celebrare vel pueris puellisque religionis praecepta tradere.

Episcoporum vero erit omnibus de religione scholis assidue advigilare; itemque de opera in hoc genere posita deque rei exitu, maxime quod attinet ad scholas, quas diximus, altiores et collegiorum, tertio quoque anno ad sacram Congregationem Concilii ac-

curate referre. Ita feliciter, speramus, fiet ut maxima illa nationum catholicarum macula eluatur quae est divinae religionis ignoratio, increbrescente late reditu sitientium animarum ad inexhaustos fontes veritatis et gratiae id est *aquae salientis in vitam aeternam*.

Quae autem his Litteris statuimus, ea semper valida et firma esse iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIX iunii, in festo Principum Apostolorum, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

2. Literae circulares Emi Praefecti S. Congr. Concilii, quibus Ordinarii interrogationes de institutione doctrinae christianae proponuntur, die 24. Junii 1924. Acta Apostolicae Sedis XVI, 332 s.

Ad urgendam toto orbe terrarum religiosam populi institutionem et sacrorum Pastorum operam diligentiamque adiuvandam et robroandam in re, qua nihil sane pluris, SSmus D. N. Pius PP. XI, Motu proprio *Orbem catholicum* diei 29 iunii anni praeterlapsi, apud hanc Sacram Congregationem Officium instituit peculiare [1]).

Quod autem Pontifex vigilantissimus futurum auspicabatur id feliciter contigit, ut ad Apostolicae Sedis auctoritatem promptior et alacrior Episcoporum ceterique cleri bonorumque laicorum opera ubique accesserit.

---

[1]) Acta Apostolicae Sedis XV (1923), 327 ss.

Quo vero melius ac facilius Officium finem assequatur suum, qui est, *universam in Ecclesia actionem cathechisticam moderari ac provehere,* huic Sacrae Congregationi peropportunum visum est probe cognoscere, quae sit apud singulas nationes institutionis religionis pueris adolescentibusque tradendae peculiaris ratio ac conditio. Ex perspecto enim universo catechisticae institutionis statu facile fiet, ut et quae ab hac Sacra Congregatione ad moderandum forte fuerint praestanda, diversarum nationum necessitatibus congruentius praescribantur, et quae alicubi in re catechistica sint feliciter instituta, ea in aliorum locorum opportune deriventur utilitatem.

Placeat igitur Amplitudini Tuae, pro Tua diligentia et studio, respondere ad interrogata quae sequuntur.

I. *De institutione doctrinae christianae in paroeciis.*

1. Quot paroeciae sunt in dioecesi?

2. Quot pueri quotque pullae in qualibet paroecia institutionem christianam frequentare tenentur?

3. Quot ex his revera eam frequentant?

4. Quanam methodo et quanam utilitate institutio haec traditur?

5. Quanam diligentia curatores paroeciarum hoc munus adimplent?

6. An et quinam in re abusus irrepserint?

7. Quaenam remedia opportune adhibenda existimaveris?

II. *De institutione doctrinae christianae in collegiis.*

8. Quot sunt in dioecesi collegia ex utroque sexu sub moderatione cleri saecularis seu regularis, aut sororum religiosarum?

9. Quot sunt alumni externi vel interni eorumdem collegiorum?

10. An in iisdem collegiis institutio doctrinae christianae habeatur?

11. Quoties in unaquaque hebdomada?

12. Quanam methodo et quanam utilitate?

13. Quosnam defectus deprehendisti?

14. Quomodo in casu provideri potest?

III. *De institutione doctrinae christianae in publicis scholis.*

15. An in publicis scholis doctrina christiana tradatur?

16. Quibusnam in scholis?

17. Quaenam leges, de hac re, a civili gubernio conditae, existunt?

18. Si in publicis scholis deest institutio doctrinae christianae, quanam ratione puerorum religiosae educationi provideatur?

19. Quosnam defectus deprehendisti?

20. Quomodo in casu provideri potest?

Hanc nactus occasionem, me profiteor

Amplitudini Tuae addictissimum uti Fratrem

Romae, 24 iunii 1924.

Donatum Card. *Sbarretti,* Praefectum.

† *Julius Ep. tit. Lampsacen.,* Secretarius.

Index Analytico-Alphabeticus.

(Numeri referuntur ad numeros paginarum.)

Absolutio a censuris R. P. reservatis 27, 61, a quibusvis censuris et poenis ob haereses incursis 50, a censuris et poenis ecclesiasticis propter lectionem aut retentionem librorum Apostatarum etc. incursis 51, a censuris et poenis ecclesiasticis contra duellum statutis 51, eorum, qui nomen dederint sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus 51, eorum, qui clausuram Regularium violaverint 52, propter possessionem fundorum ecclesiasticorum 29.

Actuarii munus in processibus super matrimonio rato 176.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum concedi potest a Legatis Apostolicis 39.

Altare privilegiatum quotidianum perpetuum declarare possunt Legati Apostolici in qualibet ecclesia territorii suae iurisdictionis 32, altaris privilegiati indulto personali fruuntur Ordinarii Missionum 65 s., altaris erectio sub dio 35, eiusdem reconsecratio per presbyteros 35, 49, consecratio per vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum 49, vide Consecratio.

Anticipatio Matutini cum Laudibus post meridiem 29, 64.

Approbatio novarum religiosarum Congregationum, normae 130 ss., diversi gradus approbationum 131 ss., ad experimentum 136, definitiva 137.

Archiva ecclesiastica, relatio de iisdem 73.

Benedictio papalis impertiri potest a Legatis Apostolicis ter in anno 31, item ab Or-

dinariis Missioum 62, campanae 37, obiectorum pietatis 50, aquae baptismalis breviori formula 54, Coronarum precatoriarum, crucium, parvarum statuarum et sacrorum numismatum 62, crucifixi cum indulgentia plenaria vulgo totiesquoties nuncupata 64, Coronarum et scapulariorum Confraternitatum 32, 67 s.

Beneficia ecclesiastica a Legatis Ap. conferri possunt 27.

Bona temporalia, relatio de eorum administratione pro dioecesibus 71 ss., pro Missionibus 127 ss, vide Res.

Canon Missae, in eodem commemorari potest nomen Ordinarii Missionis tamquam Antistitis 66.

Canonicus Poenitentiarius, eidem facultates pro foro conscientiae habitualiter delegari possunt 63.

Capitula, relatio de eisdem 82 s.

Cappa magna in Pontificalibus uti possunt Ordinarii Missionum 66.

Catechetica institutio in toto orbe catholico ordinanda 200 ss., relatio de eadem S. Sedi exhibenda 205 ss.

Catechumeni, relatio de iisdem 120.

Citatio in processibus super matrimonio rato 178 s.

Clausura papalis, instructio 149 ss.

Clerus, relatio de eodem 80 ss. v. Institutio clericorum Missionarii Sacerdotes et Presbyteri.

Codex Juris Canonici, quomodo in scholis proponatur 1 s, authentice a Commissione Pontificia declaretur et per leges novas augeatur et immutetur 3 ss.

Comae adscititiae usus tempore celebrationis Missae permitti potest 34 s.

Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos constituitur 3 ss.

Compositio pro fructibus beneficialibus male perceptis 28.

Condonatio onerum Missarum 27 s., fructuum ex beneficio ob simoniam realem invalide obtentento indebite perceptorum 28 s., pro bonis male ablatis aut retentis 30.

Confessarii Religiosarum ad quartum et quintum triennium confirmari possunt 48.

Confessio sacramentalis, quomodo eam excipere possint Legati Apostolici 38.

Confirmatio v. Sacramentum confirmationis.

Confraternitates ex privilegio Apostolico aliis reservatae facultate speciali ab Ordinariis Missionum erigi possunt 67.

Congregatio S. Officii, facultates additionales 41 ss., facultates 44, de Sacramentis, facultates 44 ss., una est competens in processibus super matrimonio rato 166, de Religiosis, facultates 47 ss., Rituum, facultates 49 ss., Consistorialis tribuit facultates quinquennales pro dioecesibus 41, de Propaganda Fide tribuit facultates quinquennales pro Missionibus 54.

Congregationes religiosae, normae pro earum approbatione 130 ss.

Consecratio calicis, patenae et altaris lapidis per presbyteros 36 s., 62, ecclesiae 37, reconsecratio altaris per presbyteros 35, 49, consecratio altaris per vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum 49, calicis et patenae per eosdem 49.

Conversio gentium, relatio de eadem 120.

Cultus divinus, relatio 73 ss.

Curia dioecesana, relatio de eadem 78.

Debitum coniugale 52.

Decretum laudis pro religiosis Congregationibus 132 s.

Defensor vinculi, eius iura et obligationes in processibus super matrimonio rato 175 s.

Delegatio apostolica expresse nominanda est 43, 46, 66.

Denuntiatio de crimine sollicitationis, hanc potest recipere Legatus Ap. per se aut per delegatum 30, magistrorum ex professo haereticalem doctrinam profitentium ac personarum ecclesiasticarum et religiosarum in hac re complicum 50, personarum ecclesiasticarum et religiosarum, quae nomen dederint sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus 51, initi matrimonii 161 ss.

Disciplina religiosa, relatio de eadem 102 ss.

Dispensatio ab irregularitatibus 27, super defectu aetatis canonicae ad Ordinem Presbyteratus a Religiosis suscipiendum 47 s., item pro diaconis utriusque cleri 59, a gradibus academicis ad assequendas praebendas canonicales 30, ab

illegitimitate natalium et super excessu aetatis pro admittendis ad habitum religiosum 47, super defectu dotis pro sororibus et monialibus 37, 48, a regressu in Religionem 38, ab impedimentis matrimonialibus 32 s., 44 s., 59 s., ab impedimento mixtae religionis et disparitatis cultus 41 s., 59 s., ab occulto impedimento criminis absque machinatione patrati in matrimonio contracto et contrahendo 52, super matrimonio rato et non consummato 164 ss., ab operibus servilibus diebus dominicis faciendis 65, a lege abstinentiae 29, a votis simplicibus private emissis, etiam S. Sedi reservatis 30, 61, a voto castitatis perfectae et perpetuae ad petendum debitum coniugale 52, a quovis iuramento, dummodo tertii praeiudicium non adsit 30, a lectura et retentione librorum prohibitorum 30, 44 vide Illegitimi, Libri prohibiti et Votum.

Domus religionis, super statu eiusdem in casibus extraordinariis Legati Ap. cognoscere possunt 37.

Ecclesiae, relatio de iisdem 126 ss.

Educatio iuventutis in scholis et collegiis, relatio de eadem 121 s., 123 s.

Electio moderatricis generalis repetita, instructio super eadem 146 ss.

Eucharistia, asservatio in sacello Legatorum Ap. 38 et Ordinariorum Missionum 65, expositio cum duobus luminaribus 57, asservatio sine lumine 57, retentio in loco decenti sine lumine 58, administratio aegrotantibus sine lumine et sine superpelliceo et stola 58 vide Hostiae et Ieiunium eucharisticum.

Examina in processibus super matrimonio rato partium 183 ss., testium 185 ss., testium septimae manus 187 ss., aliorum testium 188 vide Testes.

Facultates apostolicae pro Legatis Apostolicis 26 ss., pro Ordinariis dioeceseon 41 ss., additionales S. Officii 41 ss., S. Officii 44, S. Congregationis de Sacramentis 44 ss., Congr. Concilii 46 s., Congr. Religiosorum 47 ss., Congr. Rituum 49 ss., S. Poenitentiariae 50 ss., pro Ordinariis Missionum 54 ss., ex oblivione vel inadvertentia ultra tempus praefinitum exerci-

tae validum effectum habent 66.
Fides et cultus divinus, relatio de iisdem 73 ss.
Forum competens in processibus super matrimonio rato 166 s.

Hebdomas maior, functiones eiusdem celebrati valent iuxta peculiarem ritum Benedicti XIII. 56 s., permitti potest, ut in missis eiusdem a sacerdotibus binantibus una vice tantum „Passio" recitetur 49 s. vide Passio.
Horae canonicae commutari possunt in Rosarium B. M. V. vel alias preces 29, 64 vide Anticipatio et Officium divinum.
Hostiae saepe renovari debent 158 ss.

Jeiunium eucharisticum, dispensatio pro infirmis decumbentibus et non decumbentibus 36, 58, pro sacerdotibus et religiosis 58, instructio super eodem pro sacerdotibus bis in die aut tardiore hora celebrantibus 159 ss.
Illegitimi, eisdem potest permitti ingressus in Seminarium 39 et dispensantur pro ingressu in Religionem 47.
Indicia in processibus super matr. rato 190 s.
Indulgentia plenaria, eandem concedere possunt Legati Ap. sexies in anno 31, item ter in anno cum benedictione Apostolica 31, tempore orationis 40 Horarum 31, neoconversis 32, occasione ss. Missionum 32, Ordinarii Missionum ter in anno cum benedictione apostolica 62, occasione primae communionis 62, neoconversis 63, clericis sacra exercitia peragentibus 63, occasione ss. Exercitiorum seu Missionum 63, in actu visitationis paroeciarum, quasiparoeciarum et missionum 63, indulgentias biscentum dierum concedere possunt Legati Ap. omnibus praesentibus in sacris functionibus a se peractis 32, applicatio indulgentiarum per modum suffragii pro animabus in Purgatorio detentis 32, 63, lucratio a Legatis Ap. 38, ab Ordinariis Missionum 63, ab iis, qui bis in mense non confessi sunt, si haec conditio praescripta sit 63, benedictio crucifixorum cum indulgentia plenaria vulgo totiesquoties nuncupata 64.
Inspectio corporalis in processibus super matrimonio rato 191 ss.
Instituta diffundendae fidei, relatio de iisdem 120 s.

Institutio clericorum est pro ecclesiae salute maximi momenti 6 s., priores leges super eadem latae approbantur 7, parochi primam operam dent ad ecclesiasticas vocationes fovendas 8, in primis studium linguae latinae, Philosophiae et Theologiae scholasticae secundum mentem S. Thomae et Theologiae Pastoralis fovendum 9 ss., laicas Universitates clerici non nisi de Episcopi voluntate visitent et certas leges observent 16 ss.

Instrumenta in processibus super matrimonio rato 189 s.

Interpellatio coniugis v. Privilegium Paulinum.

Inventaria, relatio de iisdem 71 ss.

Jusiurandum in processibus super matrimonio rato 179 ss., dispensatio a iuramento 30, poenae contra violatores 180.

Legitimatio prolis 34, 43.

Libri prohibiti, facultas eosdem legendi et retinendi 30, 44.

Matrimonium, instructio super probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii 161 ss., decretum de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato 164 ss., regulae processus in eadem causa instituendi 166 ss, debitum coniugale 52, dispensatio ab impedimentis matr. 32 s., 41 s., 44 s., 52, 59, sanatio matr. in radice 33 s., 42 s., 45, 60.

Medicina et chirurgia 64.

Missa de Requie permitti potest bis vel ter in hebdomada 35, ter in hebdomada extra Quadragesimam 57, celebrari potest semel in hebdomada ab Ordinario in proprio Oratorio 50, votiva de B. M. V. aut defunctorum concedi potest sacerdotibus visivae potentiae debilitate laborantibus vel alia infirmitate detentis 35, sacerdotibus omnino caecis 36, 57, alicuius Sancti, quae cum Officio illius diei non congruit, permitti potest 36, lecta permitti potest feria V. in Coena Domini pro Oratoriis publicis 34, pro communitatibus religiosis 48, loco sollemnis feria V in Coena Domini et sabbato sancto 57, missae celebratio extra ecclesiam vel Oratorium 35, in mari et in fluminibus 35, 55 s., iuxta kalendarium Romanum 38, a tertia hora post mediam noctem 35, una hora post mediam noctem 56, ter in

nocte nativitatis D. N. J. C. 47, 56, sine ministro, sub dio et sub terra, etiam si altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis 55 s., cum uno luminari et absque luminibus 56, vide Onera Missarum et Thurificatio.

Missionarii exteri, relatio de iisdem 116, item de missionariis indigenis 116 ss.

Missiones sacrae a Legatis Ap. mitti possunt 40, relatio de statu missionum 107 ss., item de constitutione missionis eiusque divisione ecclesiastica 109 ss.

Moniales a Legatis Ap. impetrare possunt indultum manendi per tempus extra claustrum 37, item ab Ordinariis permissionem descendendi in ecclesiam 48 et egrediendi e claustris urgente causa operationis 49 vide Clausura papalis.

Normae pro approbandis novis religiosis Congregationibus 130 ss.

Novitiatus secundus annus, instructio de eodem 141 ss.

Officium divinum, recitatio eiusdem iuxta kalendarium Romanum 38, anticipatio Matutini cum laudibus post meridiem 29, 64, commutatio in Rosarium B. M. V. vel alias preces 29, 64.

Olea sacra ab Episcopis confici possunt cum parvo numero sacerdotum, etiam extra diem Coenae Domini 55.

Onera Missarum, eorum condonatio 27 s., reductio 46, translatio 46 s.

Oratorium privatum, facultas pro sacerdotibus infirmis aut aetate devexis 34.

Ordinarii, relatio de iis, quae ad ipsum spectant 75 ss., de Ordinario Missionum eiusque praecipuis cooperatoribus in regimine Missionis 111 ss., Ordinarii Missionum personaliter uti possunt facultatibus, indulgentiis et permissionibus, quas aliis concedunt 65.

Ordines minores conferri possunt simul, etiam cum prima tonsura 58, sacri conferri possunt diebus ferialibus etsi continuis 58.

Parochi tantum subdelegari possunt ad concedendam sanationem matrimonii in radice 43, relatio de iisdem 83 ss.

Paroeciae, facultas easdem committendi sacerdotibus religiosis 37.

Passio in Hebdomada maiore 49 s.
Pensio pro quasiparochis et missionariis ex infirmitate resignantibus 65.
Poenae contra violatores iurisiurandi 180.
Poenitentiaria, facultates huius tribunalis 50 ss.
Poenitentiarius vide Canonicus Poenitentiarius.
Populus fidelis, relatio de eodem 88 ss.
Praesumptiones in processibus super matrimonio rato 190 s.
Presbyteria, relatio de iisdem 126 ss.
Privilegium Paulinum, plures facultates circa idem 60 s.
Probatio status liberi, instructio super eodem 161 ss.
Processus informativus per Legatos Apostolicos 27, super matrimonio rato et non consummato 164 ss.
Productio testium in processibus super matrimonio rato 185 ss.
Professio religiosa in articulo mortis permissa 143 ss.
Prorogatio facultatum, indulgentiarum et indultorum a S. Sede concessorum 30.
Purificatio calicis aqua tantum 56.

Reconsecratio altaris 35.
Relationes super statu dioeceseon 68 ss., religionum 92 ss., Missionum 107 ss.
Religiosi, relatio de iisdem 87 s.
Res ad divinum cultum spectantes, relatio de iisdem 125 s., vide Bona temporalia.

Sacella, relatio de iisdem 126 s.
Sacerdotes in Missionibus, relatio de iisdem 114 ss.
Sacramentum confirmationis administrari potest per simplices sacerdotes 34, 55, per Legatos Apostolicos 38, relatio de administratione sacramentorum in Missionibus 124 s.
Sanatio matrimonii in radice 33 s., 42 s., 45, 60.
Scapularia B. M. V. de monte Carmelo et septem dolorum eorum benedictio et impositio 32, 67.
Seminaria solis sacri ordinis candidatis reservantur 8 s., interdioecesana maxime commendantur 14 s., relatio de iisdem 78 ss.
Sodalitia Rosarii B. M. V. de monte Carmelo et septem dolorum, eorum erectio 32, 40.
Sorores religiosae, eisdem permitti potest, ut sacra vasa, sacrasque suppellectiles tangere necnon pallas, corporalia et purificatoria

abluere valeant 58 vide Moniales.
Stationes viae Crucis, earum erectio 32, 40, 67.
Status materialis personarum et locorum, relatio pro dioesesibus 69 ss., dioecesis, iudicium syntheticum de eodem 92, personarum religiosarum, relatio de eodem 96 ss., rerum religiosorum 99 ss., generalis Missionum, relatio de eodem 109.
Subdelegatio facultatis sanandi matrimonium in radice parochis tantum concedatur 43, facultatis legendi libros prohibitos non permittitur 44, facultatum S. Poenitentiariae ad Canonicum Poenitentiarium et Vicarios Foraneos tantum permittitur 53, facultatum Ordinariorum non indiscriminatim fieri potest 66, facultatis adscribendi Confraternitatibus 67, benedicendi Scapularia et erigendi stationes viae Crucis 67.
Supplex libellus ad petendam dispensationem super matrimonio rato 167 ss.
Suspensio a divinis infligi potest clericis, qui contra voluntatem Ordinarii magisteria saecularia aliave officia suscipiunt 18, ipso facto incurritur a clericis, qui decretum de transmigratione ad Americam transgrediuntur 25.

Taxae pro facultatibus concedendis 53 s.
Testes in processibus super matrimonio rato, eorum productio 185 ss., examina testium septimae manus 187 s., aliorum testium 189 s.
Thronum cum baldachino Ordinariis Missionum conceditur 66.
Thurificatio in missis cantatis a solo celebrante absque ministris 56.
Transmigratio clericorum ad Americam et insulas Philippinas 19 ss.
Tribunal, quomodo constituatur in processibus super matrimonio rato 170 ss.

Universitates laicae, normae pro visitatione clericorum 16 ss.

Vestes laicales induere missionariis permitti potest 64.
Vicarius generalis et capitularis non possunt concedere litteras discessoriales pro America et insulis Philippinis 20, capitularis adipisci potest universam potestatem, quae Episcopo iure ordinario competit 39, fora-

neus impetrare potest facultates habituales pro foro conscientiae 53, relatio de vicariis foraneis 83 s.
Visitatio dioecesis in casibus urgentioribus per Legatos Apostolicos 26.
Vocationes ecclesiasticae a parochis in primis fovendae 8.
Vota simplicia private emissa, etiam S. Apostolicae reservata, eorum dispensatio et commutatio 30, 61, perfectae et perpetuae castitatis, dispensatio eorundum cum transgressoribus ad petendum debitum coniugale 52.

260.7 Hilling, Nicolaus
H654
Codicis Juris Canonici
Supplementum
DATE
ISSUED TO